This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT
Digitized by Google

Digitized by Google

CL. 1931

Digitized by Google

COMMENTARII
SEU
RESPONSA
AD QUÆSITA

Quis populorum Belgicæ ante seculum æræ Christianæ septimum Vestitus fuerit; quid Idioma; quis Agriculturæ, Commercii, Litterarum, Artiumque status?

QUIBUS PALMAM ALTERAM DETULIT
CÆSAREA AC REGIA SCIENTIARUM ET LITTERARUM ACADEMIA
BRUXELLIS ANNO M.D.CCLXXIII.

AUCTORE
D.no DONATIANO DU JARDIN
PRESBYTERO.

Nec dubitamus, multa esse, quæ & nos præterierint: homines enim sumus & occupati officiis. *Plinius Hist. Natur. lib.* I.

1
1, 74-118

BRUXELLIS,
Apud ANTONIUM D'OURS Bibliopolam.

M. D. CC. LXXIV.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO.

Priusquàm latiſſimum hunc dicendi campum ingrediar, ac de ſingulis ejuſdem partibus certi quidpiam atque explorati ediſſeram, haud abs re fore judico, de antiqua *Belgica*, *Belgio*que, tum veteri, tum hodierno, non nulla præfari, quò quæ ſuis infrà locis diſputanda ſunt, & percipiantur clariùs & expediantur ſuccinctiùs.

Belgica ſeu *Gallia Belgica* ætate Julii Cæſaris (1) pars illa Galliarum fuit, quæ à *Matrona* & *Sequana* ad *Rhenum* uſque diffundebatur, ac præter *Morinos*, *Atrebates*, *Nervios*, *Menapios*, *Aduaticos*, *Eburones*, *Treviros*, *Batavoſ*que, hodierni etiam Belgii finibus concluſos, varios quoque longè latèque extenſos complectebatur populos; nimirùm ad Euronotum *Rauracos*, *Nemetes*, *Vangiones*, *Mediomatricos*; ad Meridiem *Leucos Rhemoſ*que; ad Libonotum *Sueſſiones*, *Bellovacos*, *Veromanduos*que; ad Occidentem *Caletos*, *Velocaſſes*, & *Ambianos*.

Hujus *Julio-Cæſarianæ Belgicæ* pars erat exigua antiquum illud *Belgium*, quod Cæſar Lib. 5. de Bello Gallico cap. 24. commemoravit (2), utpote quod ultra *Bellovacorum*, *Atrebatium*, & *Ambianorum* fines non excurrebat.

Ex adverſo autem *hodiernum Belgium*, quo de hic ſermo eſt, ad Occidentem Meridiemque ultra *Morinos*, *Atrebates*, *Nervioſ*que non excurrit; quà Euronotum & Orientem ſpectat, *Eburonum Trevirorum*que limites non excedit. Verùm quà parte ſeptentriones Boreamque reſpicit, hàc ſe multò latiùs, quàm *Julio-Cæſariana Belgica*, diffundit, complectiturque

A

(1) *Cæſ. de B. G. l.* 1 *c.* 1. „ Gallos . . . à Belgis Matrona, & Sequa„ na dividit. Belgæ ab extremis Galliæ finibus oriuntur: pertinent ad in„ feriorem partem fluminis Rheni: ſpectant in ſeptentriones, & orientem „ ſolem. „

(2) *Cæſ. l.* 5 *c.* 24. „ Tres (Cæſar legiones) in Belgio collocavit. „

Digitized by Google

Geldriæ Transrhenanam partem, Hollandiam integram, Frisiam, non tamen, quam nunc vocant, *Orientalem*; adhæc Zutphaniam, Transisalaniam, Groninganam, & Ultrajectensem Dynastias, non exiguas sanè minimèque ignobiles regiones, quæ diu post Cæsaris tempora ad nomen *Belgicum* accessêre, *Belgii*que hodierni Provinciis accensitæ sunt.

Qui septemdecim hodierni *Belgii* Provincias, iisque conclusas regiones antiquitùs incoluêre, alii, quantùm quidem ex vetustis scriptoribus eruitur, origine & sedibus Galli; alii origine Germani (1), sedibus verò Galli; alii & origine & sedibus Germani exstiterunt.

Origine sedibusque Galli fuêre *Atrebates Morini*que, quos nempe inter *Belgicæ* nationes, quæ è Germania aliisve regionibus in Gallias commigraverint, Scriptorum veterum nullus recenset.

Germani origine, sedibus verò Galli exstiterunt *Treviri*, hisque comprehensi hodierni Ducatûs Luxemburgensis prisci incolæ; *Nervii* quoque, Treviris, Remis, Veromanduis, Atrebatibus, Menapiisque finitimi; & utrique quidem circa affectationem Germanicæ originis (2) ultrò ambitiosi fuerunt.

Germanis origine populis addendi *Menapii*, qui J. Cæsaris ævo utramque Rheni ripam insederunt (3), tantamque hodiernæ Brabantiæ Flandriæque tenuêre partem, ut Morinis essent finitimi (4).

His pariter jungendi *Aduatici*, ex Cimbris Teutonisque (5) prognati; *Condrusi* itidem, *Eburones*, *Cæresi*, *Pæmani*, qui, licèt Belgicas nacti sedes, ætate Cæsaris uno nomine *Germani* (6) appellabantur.

(1) *Cæsar l.* 2 *c.* 4. „ Reperiebat (Cæsar) plerosque Belgas esse ortos à „ Germanis Rhenumque antiquitùs transductos propter loci fertilitatem ibi „ consedisse: Gallosque, qui ea loca incolerent, expulisse. „

(2) *Tacitus lib. de Germ. c.* 28. „ Treviri & Nervii circa affectationem „ Germanicæ originis ultrò ambitiosi sunt. „

(3) *Cæs. lib.* 4 *c.* 3. „ Menapii ... ad utramque ripam fluminis (Rheni) „ agros, ædificia, vicosque habebant. „

(4) *Strabo lib.* 4. *pag.* 194. Menapiis contermini sunt ad mare Morini. Item *Dio Cass. lib.* 39. *pag.* 111. „ Ipse posteà in Morinos iisque finitimos Menapios arma convertit. „

(5) *Cæsar. lib.* 2. *cap.* 29. „ Ipsi (Aduatici) erant ex Cimbris Teutonisque prognati. „

(6) *Ibid. cap.* 4. „ Condrusos, Eburones, Cæresos, Pæmanos, qui uno „ nomine Germani appellantur, arbitrari ad XL. millia. „

Digitized by Google

Agmen claudant *Batavi*, qui, donec trans Rhenum agebant, pars *Cattorum* (1) fuêre, & feditione domeftica è Germania pulfi, extrema Gallicæ oræ, vacua cultoribus, fimulque Infulam, inter vada fitam, occupavêre, hocce titulo *exigua Galliarum*, feu *Julio-Cæfarianæ Belgicæ*, *portio* (2) nuncupati.

Origine fedibufque Germani fuerunt Majores Minorefque *Frifii*, variique iis affines, aut fub his aliquando comprehenfi veteres populi, qui fitas trans Rhenum (3), ac proin extra antiquam *Belgicam*, ditiones, feu hodierni Ducatûs Geldriæ Tranfrhenanam partem, Hollandiæ Comitatum, Frifiam, Zutphaniam, vicinafque jam fuprà memoratas ditiones occupârunt, quos vel idcircò, quòd prifcis ac genuinis Belgis non nifi admodùm ferò adfciti fuerint, *Adfcriptitios* Belgas, aliove fimili nomine, brevitatis ergò, deinceps compellabo, quò fic & manifeftiùs à ceteris Belgii primævis incolis fecernantur, cùm de eorum, quantùm ad vitæ inftitutum, ab hifce difcrepantiâ agendum erit.

Et varias quidem ex præcipuis his vetuftioribufque noftri Belgii gentibus, alii labentibus annis exceperunt populi, pars origine, pars folo nomine diverfi: *Tungros* intelligo, *Betafios*, *Toxandros*, *Gugernos*, *Marfacos*, *Amfibarios*, *Auchos*, ceterofque, quorum alii *Eburonum*, alii *Aduaticorum*, alii *Menapiorum*, aut aliarum veterum gentium fedes nacti, non parùm ante Aureliani Imperatoris tempora in noftrate Belgio claruerunt.

Hofce ceterofque fuprà recenfitos populos *Franci*, gens Tranfrhenana, quæque ex *Cherufcorum* ad Vifurgim reliquiis, ex *Cattis*, *Attuariis*, *Sicambris*, *Chamavis*, *Bructerif*que coaluerat, fuo tandem fubdiderunt imperio, pofteaquàm fcilicet

A 2

(1) *Tacitus lib.* 4 *Hift. c.* 12. „ Batavi donec trans Rhenum agebant, pars „ Cattorum: feditione domeftica pulfi, extrema Gallicæ oræ vacua cultoribus fimulque infulam inter vada fitam occupavêre, quam mare Oceanus „ à fronte, Rhenus amnis tergum ac latera circumluit. „

(2) *Ibid. c.* 32. „ Caninefates Batavique exigua Galliarum portio. „ *Ibid. c.* 15. Ea gens (Caninefates) partem infulæ colit, origine, lingua, virtute par Batavis, numero fuperatur.

(3) *Cæf. lib.* 1. *cap.* 1. „ Belgæ . . . proximi funt Germanis, qui trans „ Rhenum incolunt. „

Digitized by Google

ſub Imperatoribus Aureliano, Probo, Gallieno, Conſtantio Chloro, Juliano, Honorio, & Valentiniano III., vario ſucceſſu in hodiernum Belgium, finitimaſque regiones irrupiſſent.

Nunc, quorſum præcipuos ex avitis patriæ noſtræ incolis hocce loco recenſuerim, paucis aperio : nimirùm ut vel ex ipſo horum numero ac varietate nemo non perſpiciat, fieri nequaquam poſſe, ut de ſingulis ante ſeculum Chriſti ſeptimum noſtri Belgii incolis omnia ſingulaque, quibus propoſitæ quæſtiones illuſtrari poſſent, auctorum veterum teſtimonia tantillo, ſeu conceſſo dumtaxat mediæ horæ ſpatio, proferantur in medium, nedum iis omnibus ſtabiliantur rationum momentis, ultra quæ deſiderari nihil queat.

Brevis itaque in tam vaſto argumento dum cogor eſſe, C. Cornelium Tacitum (1) eatenùs imitabor, ut ea tantùm, quæ *in commune* de veterum Belgarum veſtitu ceteriſque quæſitis fide digni teſtes nobis tradiderunt, in lucem proferam.

Quod ut majori perſpicuitate aptiorique diſpoſitione exequar, illud omne tempus, quod ſeculum æræ chriſtianæ ſeptimum præceſſit, in tres dividam periodos, in Celticam nempe, quæ Romanorum in Belgium adventum prægreſſa eſt; in Romanam, quæ à Romanorum in Belgica dominatione uſque ad Francorum in ea ſtabilitum regnum effluxit; ac denique in Francicam, quæ ſeculum Chriſti quintum ſextumque complexa eſt aliaque etiam non pauca ſequentia, de quorum ultimis tamen nihil ediſſeram, quòd hæc ad argumentum, quo de quæſtio eſt, nihil pertineant. Ad rem ipſam modò progredior, quidque de quæſitis ſingulis ſentiendum mihi videatur, *in commune* edicere inſtituo.

(1) *Lib. de Germ. cap.* 28. *initio.*

Digitized by Google

AD QUÆSITA

Quis populorum Belgicæ ante ſeculum æræ chriſtianæ ſeptimum Veſtitus fuerit, quod idioma, quis Agriculturæ, Commercii, Litterarum, Artiumque Status?

RESPONSA
SEU
COMMENTARII.

PARS PRIMA.

De populorum Belgicæ ante ſeculum æræ chriſtianæ ſeptimum
VESTITU.

Quis ſub Celtica periodo Belgarum veſtitus fuerit, nullo certiùs pacto cognoſci datur, quam vel ex iis antiquiorum teſtimoniis, quibus Gallorum in univerſum priſcus habitus deſcribitur, vel ex vetuſtis monumentis, quæ unum alterumve Belgam repræſentant.

Etenim cum priſcos Belgas à ceteris ejuſdem periodi Gallis veſtitu diſcrepâſſe, nullo ex capite probari ſatis poſſit; haud abs re, eadem, aut certè affinia, quæ antiqui Scriptores generatim Gallis tribuunt, Belgis quoque adſcribi veſtimenta queunt. (*a*) Ita quoque, quas uni Galliæ

(*a*) Sic etiam rectè cenſuerunt ſcriptores hiſtoriæ Metenſis, dum pag. 18 ſic ferè loquuntur: " Ce n'eſt qu'en étudiant, ce qui étoit commun à " toute la nation gauloiſe, que nous pouvons former une idée des coutu- " mes des Belges &c. "

Belgicæ populo uſitatas veſtes monumenta probant, eas pariter, niſi ſpecialis obſtet ratio, vicinis populis non immeritò adjudicandas exiſtimo. Neque hâc certior via eſt, quâ in tantis antiquitatis tenebris ad veritatis qualemcùmque cognitionem tandem perveniatur. Gallorum igitur ſub Celtica periodo, eorumque præſertim, qui finitimi Belgis fuerunt, veſtitum videamus.

Galli ſenones, qui anno V. C. 363, capta urbe Roma, Capitolium obſederunt, præter ornatas auro veſtes, torqueſque aureos, in ipſa fortè expeditione italica comparatas, *virgata ſagula*, & *femoralia* ſeu *braccas* geſtabant. Et horum quidem luculenti teſtes mihi ſunt ingenioſiſſimi poëtæ, Virgilius & Juvenalis, quorum prior ita de illis cecinit: (1)

(1) Æneidos lib. 8. ỷ. 667 & ſeqq.

" Galli per dumos aderant arcemque tenebant,
„ Defenſi tenebris & dono noctis opacæ.
„ Aurea Cæſaries ollis atque *aurea veſtis*:
„ *Virgatis* lucent *ſagulis*: tum lactea colla
„ Auro innectuntur:

Juvenalis verò eoſdem Gallos commemorans, *ſenones* diſertè vocat, eoſque, quod & femoralibus uterentur, *braccatos*; Catilinam autem atque Cethegum, quod Gallos imitari viderentur, *braccatorum pueros ſenonumque poſteros* compellat, ſic eos carpens: (2)

(2) Satyra 8. ỷ. 235.

" Ut *Braccatorum pueri ſenonumque minores*,
„ Auſi quod liceat tunicâ punire moleſtâ &c.

Jam ergo quadringentis ferme ante æram chriſtianam annis Galli, Belgis vicini, & *virgata ſagula* (*a*) & femoralia geſtârunt: ut adeò haud ſatis intelligam, cur illuſtriſſimus Hontheimius, (3) & ei eruditione non impar Schoepflinus (4) *bracearum* uſum extra Narbonenſem Galliam, ſeu apud Gallos omnes Belgaſque non admiſerint.

(3) *In originibus Treviricis pag.* 9. *Prodromi.*

(4) Tom. 1. Alſatiæ illuſtratæ p. 69.

(5) Quid? quòd Lucanus, celebris ſub Nerone Scriptor,

(5) *Lucan. l.* 1. *Pharſal.* ỷ. 439.
Et qui te laxis imitantur, ſarmata, braccis
Vangiones, Batavique truces.

(*a*) De Belgarum ſagulis etiam meminit Cæſar lib. 5. de Bello Gallico, ubi cap. 42. de Nerviis Ciceronis hiberna foſſâ cingentibus ita loquitur: *Gladiis ceſpitem circumcidere, manibus* SAGULIS*que terram exhaurire cogebantur.* Huc ſpectat & decantatum illud Romæ apud Suetonium lib. 1. cap. 80: *Gallos Cæſar* (C. Julius) *in triumphum ducit, idem in curiam: Galli* BRACCAS *depoſuerunt, latum clavum ſumpſerunt.* Certè ni priùs Galli *Braccas* geſtâſſent, eas nec Romæ deponere, nec cum Romanis veſtibus commutare quiviſſent.

Batavos, ſub Julio Cæſare in pugna Pharſalica dimicantes, deſcribens, eos *laxis* indutos *femoralibus* exhibeat; quem profectò morem cùm à Romanis certo certiùs mutuati non ſint, oportet omninò, ut ſub periodo Celtica & à majoribus ſuis eum acceperint.

Nec verò è Belgis *Batavi* tantùm, ſed & *Eburones* quoque, priuſquàm ſubacti à Romanis eſſent, *femoralia*, imò & *manicatas veſtes* geſſerunt, uti gemini in Francorum regis cimelio nunc ſervati nummi teſtantur, quos vir clariſſimus de Bouteroue (1) ſub Ambiorige, eorum rege, percuſſos ſtatuit. Unius adeò eorum ſchema ſubjicio, ut quilibet *Eburonum femoralia* genu tenùs expanſa, *manicatas veſtes*, infernè autem non ultra nates demiſſas, *capitis tegmen*, caſſidis inſtar, & *Sagi levioris* aut *pepli*, fortaſsè & ſubtilioris *Bardocuculli* genus, ſuis oculis perſpiciat (2).

(1) *Recherches de Monnoyes de France pag.* 42.

(2) Vide pag. 13. No. 1.

Et quamquàm ſubacti Belgæ in Romanum morem aliquando conceſſerint; id tamen non niſi pedetentim factum fuit, nec univerſim, ut veriſimile eſt, ante Chriſtiani ſeculi primi exitum. Hoc ſanè abundè conficitur ex variis melioris notæ ſcriptoribus, quorum aliquos vel idcircò etiam adduco, quòd ſimul ex iis amplior Belgicarum veſtium notitia hauriri queat.

Et Diodorus quidem Siculus, qui ſub Auguſto Imperatore floruit, diſertè teſtatur, ſui etiam temporis Gallos, atque adeò & ſub his comprehenſos Belgas, *tunicas*, *femoralia* & *ſaga* geſtâſſe. " Veſtitus, inquit (3), illis mirificus: *tunicas* enim variis „ coloribus imbutas, ac ceu floribus conſperſas, & *femoralia*, „ quæ ipſi *braccas* appellant, geſtant. *Saga* etiam virgata, per „ hiemem denſa, per æſtatem tenuiora, crebriſque teſſellis, „ florum inſtar, diſtincta, fibulis ſubnectunt. „

(3) Lib. 5. pag. 307.

Diodoro conſentit Strabo, inclytus ſub Auguſto & Tiberio geographus, verbiſque ejus lucem unà addit, cùm nempe *ſaga*, quæ Diodorus Gallis in commune tribuit, ipſe diſertiſſimè ac ſpeciatim Belgis adſcribit; cùm denſa Belgarum per hiemem *ſaga* ex rudiore lana confecta fuiſſe, ſubdit; ac denique cùm ipſam *femoralium* ſeu *braccarum* formam depingit, ſic loquens: (4) " Belgæ *ſaga* ferunt, comam alunt, *braccis* utuntur cir- „ cùm extentis . . . lana eorum aſpera eſt . . . ex ea denſa

(4) Lib. 4. pag. 196.

Digitized by Google

„ *saga* ferunt. „ De *tunicis* verò, quas Siculus Galliarum inquilinis dat, ita simul Geographus loquitur, ut facilè colligas, non *tunicæ* dumtaxat, sed & fissilis ac manicatæ vestis gestandæ morem apud Belgas suo etiam tempore viguisse. Verba accipe: *Loco tunicarum* (Belgæ) *utuntur* VESTE FISSILI MANICATA *usque ad pudenda & nates demissâ*, eâque partim haud absimili pallæ Gallicæ, de qua Martialis (1):

(1) Lib. 1. Epigr. 92.

Dimidiasque nates GALLICA PALLA *tegit.*

(2) Pag. 1096.

Plutarchus quoque in Othone (2), tam communem Gallis omnibus *braccarum manicarum*que usum fuisse, testatur, ut *Gallicum morem* propterea vocet. *Cæcinna*, inquit, *braccis & manicis* GALLICO MORE *indutus*, *Signiferos & Præfectos Romanos alloquebatur*. Denique Cornelius Tacitus, ut Cæcinam non usitato Romanis more, sed barbaro, uti Romani vocabant, Gallicoque vestitum fuisse, ostendat, eum (3) *versicolore sagulo braccisque* indutum exhibet (*a*).

(3) Lib. 2. hist. cap. 20. „ Ornatum ipsius (Cæcinæ) municipia & Coloniæ in superbiam trahebant, quòd versicolore Sagulo, Braccas tegmen Barbarum indutus, togatos alloqueretur. „

Nec defuêre priscis Gallis Belgisque seu pedum seu capitis tegumina. Imò verò singulare aliquod calceamenti genus apud Gallos antiquitùs invaluisse, ipsa *Gallicarum* appellatio clarè prædicat. Ita Cicero (4) *Gallicas* pro crepidis usurpavit, dum Antonio *Gallicarum* & *lacernæ* usum, tamquàm exoticum, exprobravit. Et T. Castricius discipulis suis, teste Aulo Gellio (5), probro vertit, eos feriato die conspici, *lacernis* indutos & *Gallicis* calceatos.

(4) Philip. 2. num. 30.

(5) Noct. Attic. lib. 13. cap. 21.

Bardocuculli (*b*), Gallis universim ac nominatim Santonibus Lingonibusque (*c*) usitati, mentionem fecêre Martialis & Juvenalis, videturque fuisse pallium viaticum attexto cucullo,

(*a*) Vide etiam Tacitum *lib.* 1. *Annal. cap.* 31. ubi Cæcinam Romanorum exercitui apud Belgas, seu ad ripam Rheni inferiorem, præfuisse, scribit.

(*b*) Hanc ego *Bardocuculli* vocem Latino-barbaram à Belgico *Baerdkeuvel*, quo hominis caput ad barbam usque tegi commodè poterat, derivatam existimo, non verò, quòd tamen viri eruditi censent, à Belgica voce *Fard* vel *Baert*, prout hæc *iter viam*que denotarent, in eo quidem se linguæ Belgicæ imperitos ostendentes. De Sagatis Cucullis, seu de Bardocucullo ita Columella *lib.* 11. *cap.* 1. „ Cultam vestitamque familiam utiliter „ magis habeat, quàm delicatè, id est, munitam diligenter à frigoribus „ & imbribus, quæ utraque prohibentur optimè pellibus manicatis & Sa„ gatis Cucullis, idque si fiat, omnis penè hiemalis dies in opere tolerari „ possit. „ Martialis *lib.* 3. *Epigr.* 2. *Cuculli* formam exponit ita canens:

Vel Thuris, Piperisque sis cucullus.

(*c*) Lingones antiquis Belgis finitimi erant.

Digitized by Google

aliove ejusmodi tegmine, quo adversus aëris intemperiem pluviasque Galli Belgæque uti solebant. Unde non plebeis dumtaxat, sed & altioris sortis hominibus adhibitum tunc fuisse arbitror, sic tamen, ut hi minùs crasso, at contrà multò elegantiore uterentur *Bardo-cucullo*, quo & capitis tempora, atque adeò & barbæ partem velarent. Martialem audi: (1)

Gallia Santonico vestit te BARDO-CUCULLO;

Et Juvenalem: (2)

Tempora Santonico velas adoperta CUCULLO;

Et rursus Martialem: (3)

Sic interpositus villo contaminat uncto
Urbica Lingonicus Tyrianthina BARDO-CUCULLUS.

De Tunicarum, Sagorum, ceterarumque vestium forma plura non profero, quòd non vulgi hominibus aut sciolis, sed eruditis scribo, quibus adeò Pitisci Lexicon Antiquitatum, Joannis Smetii Antiquitates Neomagenses, Henrici Kippingii, Nobilissimi D. Comitis de Caylus, Bernardi de Montfaucon, Schoepflini, illustrissimi Hontheimii, aliorumque opera satis nota sunt, ut, quæ sigillatim nunc recensère præfixæ temporis angustiæ non sinunt, pro insertis hic expressisque habeantur.

Ad Belgas Adscriptitios, seu ad Frisios ceterosque Transrhenanos populos, *hodierni Belgii*, quamquàm non *veteris Belgicæ*, priscos incolas, progredior; quæque & de eorum vestitu ex antiquis erui scriptoribus possunt, in medium profero.

Hi, cùm & origine & situ sedibusve Germani fuerint, fallor, nisi priscis Germanis, quàm Gallis Belgisque sub Celtica periodo similiores habitu fuerint. Ea tamen mihi sedet sententia, ne ipsos quidem è vulgo *Frisios confines*que *populos* tam indecorè nudos in publicum prodiisse, quales Cluverius (4), vir ceteroqui eruditus, veteres Germanos exhibet. Atque id mihi quidem persuasum habeo, tum quòd Cæsar Germanorum mores describens, eos non *maximâ*, sed *magnâ* (5) solùm corporis *parte* nudos aliquando egisse, scripserit; tum quòd veri simile non sit, Julium Cæsarem, qui levioris momenti res de Germanis commemorat, rem adeò Romanis inusitatam, ac pudori adversantem, silentio prætermissurum fuisse, si, uti Cluverius vult, ea corporis membra, quæ ipsa natura tegi impe-

(1) Lib. 14. Epigr. 126.

(2) Satyra 8. ℣. 145.

(3) Lib. 1. Epigr. 53.

(4) Lib. 1. Germ. Ant. tab. 1, 2, 4, 6, 8, 9.

(5) Cæs. L. 6. c. 21. „Germani „ ... pellibus aut „ parvis Rhenonum tegumentis „ utuntur, *magna* „ corporis parte „ nuda. „

Digitized by Google

rat, & aëris inclementia amiciri cogit, intecta Germani liquissent, solos verò humeros pectusque umbilico tenùs, tam mulieres, quàm viri velassent. (*a*)

Sanè cùm veteres Germani pellibus ferarum, puta: Ursorum, Boum silvestrium, (*b*) Cervorum, Rhenonum aliorumque hujuscemodi animalium exuviis, & integris quidem, pro corporis tegumento usi sint, vix ambigendum videtur, quin, quod Cæsar de magna corporis eorum nuditate refert, non ultra superiorem dorsi pectorisque partem, brachia item & lacertos, ac demùm ex inferna parte non admodùm supra tibias & genua extendi debeat.

Hanc enimverò opinionem non modicè firmat Paulus Diaconus, de Rhenonibus Rangiferisve (*c*) asserens, (1) conspexisse se ex unius corio pilis hispido *vestem in modum tunicæ genu tenùs aptatam*, quo vestis genere suo etiam tempore scritofinni passim utebantur. Quidni igitur & Rhenonum tegumenta, quibus sub Celtica periodo Germani usi sunt, sat ampla fuerint, ut magnam admodùm corporis partem contegerent, utque tunicæ instar corporibus aptarentur?

(1) Lib. 1. de Gestis Longobardorum cap. 5.

(*a*) Si, quod Hottomannus non immeritò contendit, genuina Cæsaris dictio lib. 6. cap. 21. in fine hæc sit: *& pellibus aut parvis* RENUM *tegumentis utuntur;* consectarium erit, ut prisci Germani, præter ferarum pelles, perizomata etiam gestârint. Ut enim Lucretius de prisco mortalium vivendi more scribit, solebant homines *uti pellibus & spoliis corpus* VESTIRE *ferarum*; propterea nempe quòd luxurianti juventuti & pronis etiam adulteriorum in Venerem motibus injiciendum frænum esset, quo *casta*, uti Tacitus de Germanis scribit, servari possent *matrimonia*. Quòd si quis non *Tò Renum*, sed *Rhenonum* aut *Rhenorum tegumentis* legendum esse omnino velit, non refragabor quidem; attamen non video, cur pellibus aut parvis etiam Rhenonum tegumentis simul consutis ita corpora vestire nequierint, ut corporis pudenda oculis hominum subtraherent, sic tamen hæc tegmina corporibus aptata essent, ut occultari diu non posset, si qua puella (*) *intra vicesimum ætatis annum feminæ notitiam habuisset* uterumque gestaret. Ridiculum quippe puto, hæc Cæsaris verba de masculis interpretari, in quorum corpore nullum cerni potest illiciti aut præmaturi amplexûs maritalis indicium, ne tunc quidem, cùm fluminibus perluuntur.

(*) Cæs. lib. 6. G. B. c. 21.

(*b*) Vide J. Cæsarem in comment. de B. G. lib. 6. cap. 26. ubi diversa enumerans ferarum genera, quæ in Hercynia silva nascuntur ac reliquis in locis visa non sunt, „ Est *Bos*, inquit, cervi figura; cujus à media fronte inter „ aures unum cornu exsistit excelsius, magisque directum his, quæ nobis „ nota sunt, cornibus. Ab ejus summo sicut palmæ, rami quàm latè diffun„ duntur. *Eadem est feminæ marisque natura.* „ Vide etiam histor. natur. de Quadrupedibus J. Jonstonii lib. 2. cap. 2. art. 1. de Bove domestico, & art. 2. de Bobus feris.

(*c*) Vernaculè *Rheen* vel *Rheindier*; gallicè *Rangier*, vulgatiùs *Renne*.

Digitized by Google

Sed ne cavillationibus locus sit, Rhenonum seu *Rhenorum* (ita enim vetustior codex meus MS., olim Bonnensis, legit) magnitudinem ac cum humani corporis amplitudine proportionem, ex genuino haustam nummo (*a*), à Renia seu Rhenia Romanorum gente percusso, exhibeo sub num. 2.



Nec verò mihi hîc contrarius est Tacitus (1), dum Germanis omnibus *tegumen* esse *sagum*, *fibulâ*, *aut si desit*, *spinâ consertum*, *cetera intectos*, *toto die juxta focum atque ignem agere*, memoriæ prodit. Etenim hæc de domestico, non de publico, non de divitum, sed de pauperum Germanorum vestitu intelligenda esse, ipsemet Tacitus ibidem aperit. Quòd si, prout vir clarissimus Gabriel Brotier existimat, *Sagum* pallium quoddam fuerit quadrum, nec à Rhenone diversum; utique jam fiet consequens ex antèdictis, ut à pectore ad genua saltem pertigerit, utque adeò viri mulieresque brachia dumtaxat & lacertos, collum quoque; infernè verò crura poplitesque intecti domi suæ ad ignem focumque degerint.

Adde tam amplum fuisse *Sagum*, ut distento (*b*) homines imponi atque in sublime jactari recipique possent. Imò verò Batavorum *Saga* satis ampla erant, ut iis pro lintrium velis (2) uterentur; ut Germani proin maximam corporis partem (*c*)

(1) Libr. de Germ. cap. 17.

(2) Tacitus lib. 5. Hist. cap. 23. „ Captæ lintres „ sagulis versico- „ loribus haud „ indecorè pro „ velis juvaban- „ tur. „

(*a*) Animalia hoc nummo expressa *Rhenones* esse, non *Hircos*, rectè monet Oudendorpius in notis ad Cæsarem, citatque pro se Bertium. Adde Ursinum in familiis Romanis pag. 223, & Carolum Patin in familiis item Romanis pag. 239, qui & hunc nummum ære excusum exhibent. Plura de Rhenonibus vide apud Cluverium G. A. lib. 1. cap. 16. pag. 109., Kippingium Ant. Rom. lib. 4. cap. 5. pag. 528., & mox citatum Oudendorpium.

(*b*) „ Ferebatur (Otho) & vagari noctibus solitus, atque invalidum „ quemque obviorum vel potulentum corripere: ac *distento Sago* impositum „ in sublime jactare. „ Suetonius in Othone cap. 2.

(*c*) Nisi Sagorum magnitudinem lapsu temporis non parùm adauctam, aut aliam prorsus apud Germanos, aliam apud Gallos Belgasque antiqui-

Digitized by Google

ſuis *ſagis* tegere omnino potuerint, magnaque tantùm corporis parte jam ſuperiùs indicata, inceſſerint nudi. Sed de infimæ ſortis Germanorum veſtitu hæc ſatis. Ad melioris conditionis homines pergo.

(1) Libr. de Germ. cap. 17.

Germanorum locupletiſſimi, teſte eodem Tacito (1), *veſte diſtinguebantur non fluitante, ſicut Sarmatæ ac Parthi, ſed ſtrictâ & ſingulos artus exprimente*, in eo à priſcis Batavis, qui femoralibus ſeu braccis utebantur laxis ferèque fluitantibus, omnino diſcrepantes. Gerebant quoque ferarum pelles; qui proximi ripæ fluminis Rheni, ut Friſii, Bructerique &c., paulò negligentiùs, quòd nempe commerciorum facilitate alterius quoque generis veſtimenta alioſque cultus ſibi comparare poſſent; qui verò remotiùs à Rheno degebant, hi pellibus, quod unum ipſis veſtimenti genus erat, exquiſitiùs majorique ſtudio utebantur. Non tamen promiſcuè ferarum pelles quaſlibet ſuo corpori aptabant, ſed quas molliores nitidioreſque experti eſſent; quòd ſi vellera quædam à naturâ maculoſa non eſſent, ea maculis ſpargebant, vel pellium diverſi coloris lacinias adſuebant, colorum varietate mirificè affecti. Ita ferè Tacitus (2); ex quo, quis feminarum quoque veſtitus fuerit, aperire viſum eſt.

(2) Ibid.

(3) Ibid.

Nec alius, inquit (3), *feminis, quàm viris habitus, niſi, quòd feminæ ſæpius lineis amictibus velantur, eoſque purpurâ variant, partemque veſtitûs ſuperioris in manicas non extendunt, nudæ brachia ac lacertos: ſed & proxima pars pectoris patet.* Friſiorum itaque ceterorumque Belgarum Adſcriptitiorum feminæ, non indecorè, non turpiſſimè nudæ, ſed brachia tan-

tus fuiſſe, quiſquam contendat ſimulque fide dignis documentis evincat, is neceſſe habebit fateri, Germanorum corpora maximâ ex parte ſagis tegi potuiſſe, uti ex Trebellio Pollione, Trigint. Tyrann. cap. 22. in fine perſpicuum eſt. En quibus verbis auctor libri, cui titulus : *Explication de divers Monumens ſinguliers*, pag. 297. & 298. Trebellii Pollionis locum illuſtret :
„ La longueur du *Sagum* en général eſt conſtatée par Trebellius Pollio, qui
„ parlant des attentions que le tyran Saturnin avoit pour ſes ſoldats, ordonna;
„ qu'ils ne ſe mettroient jamais à table ſans avoir un *Sagum*, épais ſi c'étoit
„ en hyver, leger quand c'étoit en été; afin qu'il ne parût aucune nudité,
„ tandis qu'ils ſeroient couchés. . . . ainſi comme leurs habits ordinaires
„ n'alloient jamais que juſqu'aux genoux, pour produire l'effet, que Saturnin
„ s'étoit propoſé, il falloit néceſſairement que leur *Sagum* deſcendît
„ bien plus bas. „

Digitized by Google

tùm proximamque humeris pectorique partem intectæ erant, vestitu adeò non parùm ab iis diversæ, quorum aliquas toto ferè pectore genibusque nudas exhibet Gerardus van Loon, (1) omninò autem ab iis habitu discrepantes, quas Cluverius variis locis ære excudendas curavit.

(1) Tom 1. Veteris Batavorum Historiæ pag 10.

Hæc tamen Taciti verba : *nec alius feminis, quàm viris habitus*, non eò trahenda sunt, quasi mulieres quoque veste usæ fuissent stricta & singulos artus exprimente, (2) nedum braccis, quas laudatus van Loon eisdem tribuit; sed hoc exponenda sensu sunt, ut feminæ, præter lineas vestes, purpurâ variatas, ferarum pelles præsertim molliores, & sparsa maculis velamina, ac saga gestârint, ut quæ eo essent confecta dispositaque modo, qui sexum condeceret femineum. Ita hodieque hiemali tempore viri feminæque ditiores pellitas vestes gerunt, quarum tamen eadem non est forma, at pro vario sexu ita diversâ, ut utraque utrumque deceat.

(2) Vide Cluverium. Lib. 1. Germ. Antiq. c. 16. pag. 118.

Coronidis loco sit Parisiensis gemmæ seu Achatis Tiberiani, à P. P. Rubeno, pictore celebratissimo, delineati, segmentum, seu pars infima, quæ Joannis Tristani, (3) Alberti Rubeni (4) & Joannis Harduini (5) judicio, captivos, è Germania Romam olim in triumphum traductos, longo ordine exhibet, (*a*) quos inter visuntur binæ mulieres ex avito more brachia nudæ, lineisque indutæ vestibus, caput velo peploque redimitæ; viri item tres, quibus & corporis indumenta & thoraces clypeosque adversus hostiles ictus non defuisse, perspicias. Germanorum pueros domi atque inter matrum brachia nudos agere soluisse, Achates ille cum Tacito (6) fidem facit, hoc uno tamen discrimine, quod author hic de puerorum pileolis non meminerit, hos tamen cæsarea illa gemma exhibeat. (*b*)

(3) Commentaires historiques tom. 1. pag. 105.

(4) Differt. de Gemma Tiberiana. pag. 15.

(5) In oper. select. pag. 711. & seqq.

(6) Lib. de germ. cap. 20.

Ceterùm priusquam ad Belgarum circa patrium cultum sub Romana periodo mutationem transeam, lectorem monitum ve-

(*a*) Captivos illos Germanos esse, negat solus Baro Jacobus le Roy in suo Achate Tiberiano pag 22. persuasum sibi habens, Germanos arcu & sagittis usos non fuisse, cùm tamen oppositum omnino certum sit, uti patet ex Tacito lib. 4. Hist. cap. 61. ubi dicit : „ Ferebatur (Civilis) parvulo filio quosdam captivorum sagittis jaculisque puerilibus figendos obtulisse. " & lib. de Germ. cap. 46. Vide etiam Alberti Rubeni differt. de Gemma Tiberiana, loco citato.

(*b*) Gemma ære expressa exstat apud citatos Scriptores, quos curiosus lector adeat.

Digitized by Google

lim, ut, quotiescumque apud antiquos scriptores de veterum Gallorum Germanorumque nuditate (a) mentio occurrit, hanc non de universa natione, sed de paucissimis tantùm viris interpretetur, quorum nempe alii scutis nudi, vel subligaculis solùm recincti, discrimen pugnæ adibant, de quibus consulendi Diodorus Siculus, (1) Livius (2) Dio Cassius, (3) aliique, ad rem jam nunc propositam festino.

(1) Lib. 5. pag. 306.
(2) Lib. 38. hist. cap. 21.
(3) Lib. 38.

Postea quam prisci Belgæ Romanis rerum dominis subesse ac parêre didicissent, pedetentim, uti aliàs fieri apud subditas gentes assolet, ad populi dominatoris habitum accessêre, seque ad illius arbitrium moresque accomodârunt. Sanè, cùm Tencterorum legatus in Consilio Agrippinensium auditores suos adhortatus sit, ut *instituta cultumque patrium resumerent*, (4) abruptis voluptatibus, quibus Romani plus adversus subjectos, quàm armis valerent; sat manifestè hinc patet, elegantiorem corporis cultum unàque voluptatum aliquot illecebras sub Romanorum dominatione in Belgicam irrepsisse, id nempe operam dantibus Romanis, ut homines, bello faciles, quieti & otio, corporumque cultui elegantiori adsuescerent. (5)

(4) Apud Tacit. lib. 4. hist. cap. 64.
(5) Vide Tacit. in vita Agricolæ cap. 21.

Mirandum adeò non est, pacaciori illo tempore, quo usque ad Francorum decretoriam expeditionem Romanorum mandatis paruerunt, Romano prorsus, aut saltem simili admodum vestitu *Belgas* passim usos fuisse. Imo verò, si, quod eruditissimus Schoepflinus (6) tradit, ipsemet Triboci ex Romano more comas & barbas primùm deposuerint, secundo Christi seculo receperint, tertioque labente rursus abjecerint; vix dubitandum erit, quin & nostrates Belgæ, pari facilitate studioque cultiorem commodioremve Romanorum habitum assumpserint, præ reliquis quidem Belgarum Optimates, quò sic rerum Dominis certiùs placerent; dein verò plebei, magnates suos, quantùm sors sinit, imitari aut sequi soliti.

(6) Tom. 1. Alsatiæ illustratæ, pag. 316.

Romanorum itaque exemplo, Belgarum pueris concessa à parentibus hæc fuerint: aliuncula, prætexta, amuletum, seu bulla, pro conditionis diversitate, aurea, argentea, æneave,

(a) Ne quis τὸ Γυμνὸν, seu latinè *nudum* nimis crudè ac de omnimoda corporis nuditate interpretetur, eruditè cavet Henricus Kippingius in Antiquitatibus romanis pag. 544, & 545, adductis variis exemplis, quibus addi possunt numismata primorum Imperatorum, quæ erecta ex Germanorum devictorum armis vestibusque variis tropæa exhibent.

Digitized by Google

inaures quoque non femellis tantùm, sed & masculis; (1) Juvenes autem, præter communia omnibus indumenta, gestârint tunicam, puram, quandoque fortassis etiam pellucidam seu undulatam; si nobiles, togam quoque prætextam; (2)

Viri togam virilem, paludamentum, palliolum, lacernam, trabeam; (3)

Mulieres quoque gesserint aptatam Romano more tunicam, pallium itidem & pallam, peplum quoque, & gausape, inaures denique & torques; (4)

Senatores togam, latum clavum, ac colobium; (5) si viri consulares, fasciam duplicem seu omophorion, & sub hoc togam pictam, tunicam palmatam, & subarmalem profundum. (6)

Sed hæc de Romano-Belgicis vestibus cursim perstrinxisse, ob jam ante dictas rationes, sufficiat. (*a*) Quapropter nec de variis calceamentorum capitisque tegminum generibus, nec de annulis quidquam in medium profero, Lectorem interim ad Montfauconium, ad Comitem de Caylus, aliosque antiquitatum peritos scriptores remisisse contentus.

(1) Montfaucon tom. 3. antiquitat. parte 1. tab 36, 37, & 52.

(2) Ibid. tab. 5. fig. 1.

(3) Ibid. tab. 5 fig. 2 & 3, tab. 10. Vredius addit. ad lib. prodr. 2. pag. LII. fig. 23.

(4) Montfaucon ib. tab. 48 fig. 4; tab. 49. fig. 5; tab. 51. fig. media. Vredius ibid. post pag. L. fig. 8.

(5) Montfaucon tab. 53.

(6) Wilthemius in Dystycho Leodiensi cap. 3.

Ut porrò nihil in humanis rebus est mutationibus magis obnoxium, quàm corporum vestitus ac cultus; ita, Francis summâ rerum in hodierni Belgii regionibus potitis, alii rursus lapsu temporis introducti sunt mores, aliæ assumptæ vestes. Etsi enim Franci subactis à se populis nova jura, novosque mores pro imperio præscribere non solerent; quin tamen illi potiùs ad gentis victricis, quàm hæc ad devictæ arbitrium moresque se finxerint, vix dubium est. Francorum ergo habitum videamus.

Apollinaris Sidonius in Panegyrico, quem Julio Valerio Majoriano Augusto scripsit, Francos illos, quos Aëtius sec. v. ad

(*a*) Quæ historiæ Metensis auctores tom. 1. pag. 28. de usu sagorum à Mediomatricis ex romano more gestorum, universim tradunt, hæc ceteris Romano-Belgicis vestibus eruditus quilibet facilè aptabit. Sic illi : „ Pour „ les flatter sans doute (Romanos hic intellige) les principaux Mediomatriciens adopterent les premiers leurs usages; cette innovation entraina „ bientôt après le peuple toujours imitateur des grands. Insensiblement les „ *Sayes-à-manche* furent abolis, & on préféra ceux qui n'en avoient point. „ Ces derniers étoient de deux sortes: les uns fermés de tous côtés, se mettoient en passant la tête dans l'ouverture superieure; lorsqu'ils étoient „ mis, on les relevoit à grands plis sur les bras: les autres entierement ouverts comme nos manteaux, se mettoient sur les épaules. „ Hactenus illi. Subdo ex eorum opere Romano-Belgicarum vestium aliquot schemata, ex quibus, quæ Belgarum quoque nostratium vestimenta sub Romana periodo fuerint, dijudicare lector possit. Vide N. 1. 2. & 3.

Digitized by Google

vicum Helenam apud Atrebates inhibuerat, tam graphicè depingit, ut eos pronas in frontem tonso occipite comas, tenues raso vultu barbas, vestes strictas & singulos artus exprimentes, nudos poplites, haud tamen nates, latos baltheos; pro armis verò secures, breves hastas, clypeosque gestâsse, perspicias. Præclari auctoris versus, vix non Virgilio dignos, audîsse juverit :

(1) ỳ. 238. (1) „Rutili quibus arce cerebri
„Ad frontem coma tracta jacet, nudataque cervix
„Setarum per damna nitet, tum lumine glauco
„Albet aquosa acies, ac vultibus undique rasis,
„Pro barba tenues perarantur pectine cristæ.
„Strictiùs assutæ vestes procera coercent
„Membra virûm, patet his altato tegmine poples,
„Latus & angustam suspendit baltheus alvum.
„Excussisse citas vastum per inane bipennes,
„Et plagæ præscîsse locum, clypeosque rotare
„Ludus, & intortas præcedere saltibus hastas. &c."

Hæc cum magna ex parte oculis exhibeat Franci icon, à P. Daniel Tom. 1. Hist. Militiæ Francicæ ad pag. 6. edita, illam hic repræsento. N. 4.

At verò etiam splendidior multò, elegantiorque vestitus apud Francos in Gallia degentes, eodem seculo quinto in usu fuit, si quidem Sigismeris, regius juvenis, de quo Apollinaris Sidonius agit, (2) aut Francus, aut saltem origine Germanus fuerit, qualis omnino fuisse videtur. Hunc enim laudatus auctor sic *ritu atque cultu gentilitio* ornatum exhibet : „Illum „equus quidem phaleris comptus, immò equi, radiantibus „gemmis onusti, antecedebant vel etiam subsequebantur: cùm „tamen hoc magis ibi decorum conspiciebatur, quod præcur„soribus suis sive pedissequis *pedes & ipse medius incessit, flam„meus cocco, rutilus auro, lacteus serico;* . . . Regulorum „autem sociorumque comitantum forma, & in pace terribilis: „quorum pedes primi *perone setoso* talos usque vinciebantur; „*genua, crura, suræque sine tegmine. Præter hoc vestis alta, „stricta, versicolor, vix appropinquans poplitibus exertis, ma„nicæ sola brachiorum principia velantes, viridantia saga limbis*

(2) Epist. lib. 4 Ep. 20.

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

„ *marginata puniceis, penduli ex humero gladii balteis supercur-* „ *rentibus strinxerant clausa bullatis latera rhenonibus.* Eo quo „ comebantur ornatu, muniebantur; lanceis uncatis, securi- „ busque missibilibus dextræ refertæ, clypeis lævam partem „ adumbrantibus, quorum lux in orbibus nivea, fulva in um- „ bonibus ita censum prodebat, ut studium. Cuncta prorsus „ hujusmodi, ut in actione thalamorum non appareret minor „ Martis pompa, quam Veneris. Sed quid hæc pluribus? „ Hactenus ille.

Vides hic splendida auro, sericoque & cocco indumenta; vides & vestes altas, strictas, versicolores, manicatas, at jam breviores; vides & rhenones, non quales prisci Germani pro corporis tegmine gestabant, sed bellici cinguli ad instar figuratas pelles, quæ contecta veste latera ornatûs gratiâ cingebant.

Quem quidem tegendi ornandique corporis morem quisquis cum Francico exeuntis seculi octavi (*a*) cumque hodierno contulerit, næ is inconstantiæ humanæ documenta perspiciet non tot, quin plura.

PARS SECUNDA.

De populorum Belgicæ ante seculum æræ Christianæ septimum.

IDIOMATE.

BElgarum nostratium varia fuit pro varia periodo lingua. Priusquam in Gallias Romani transîssent, Belgæ omnes, ut qui origine Celtæ, Celticè loquebantur, dialecto potiùs, seu vario loquendi genere, quàm ipso idiomate à ceteris Gallis discrepantes. Nam cùm universæ nationis, seu Aquitanorum,

C

(*a*) Vestitum Francicum & in his quoque oris ustatum describit Eginhardus in vita Caroli Magni cap. 23, ita de eo loquens: „ vestitu patrio, „ hoc est, Francico utebatur: ad corpus camisiâ lineâ & feminalibus lineis „ utebatur, deinde tunicâ, quæ limbo serico ambiebatur, & tibialibus: „ tum fasciolis crura, & pedes calceamentis constringebat: & ex pellibus „ lutrinis thorace confecto, humeros ac pectus hieme muniebat. Sago ve- „ neto amictus & gladio semper accinctus, cujus capulus ac baltheus aut „ aureus, aut argenteus erat: aliquoties & gemmato ense utebatur. &c. "

Digitized by Google

Gallorum, Belgarumque, generales conventus (1) haud rari essent, omnesque sese jure-jurando, ne quis in concilio gesta temerè enuntiaret, obstringere solerent, oportet sanè, ut ipsi sese in concilio de re publica differentes intellexerint, utque adeò commune aliquod Gallis omnibus idioma fuerit, quo & in generali conventu omnes uterentur, & conderentur plebiscita vel universi populi decreta. (*a*)

Quamquàm autem Cæsar de sui temporis Belgis, Gallis, Aquitanisque memoriæ prodiderit, eos linguâ inter se discrepasse; (2) non propterea tamen commune hisce omnibus idioma negâsse, censendus est; cùm fieri facilè potuerit, ut res quasdam alio modo sonoque Aquitani, alio Galli, alio Belgæ significare efferreque apud suos solerent, idem tamen quantùm ad substantiam idioma, singulis, solisque adeò dialectis diversum esset. Quo sensu optimè conciliatur Cæsari Strabo, qui commentarios ejus laudans, omnes quidem Gallos eodem sermone uti affirmat, sed *aliquid* tamen nonnullos habere *diversitatis*, (3) mox subdit.

Et verò idem ipsemet Cæsar, communem aliquam Gallis omnibus linguam fuisse non obscurè indicat, cùm lib. 7 cap. 3. (4) disertè tradit, per omnem Galliam moris fuisse, ut ubi

(1) *Cæs. lib.* 1. *de B. G. cap.* 30. „Totius fere Galliæ legati . . . ad Cæsarem gratulatum convenerunt . . . . petierunt, uti sibi concilium totius Galliæ in diem certam indicere . . . . liceret."
Id. lib. 7. *c.* 2. „Ne res efferatur, ut jure-jurando ac fide sanciatur, petunt... dato jure-jurando ab omnibus qui aderant, . . . ab concilio discedítur."
Ibid. cap. 63. „Totius Galliæ conciliũ Bibracte indicitur. Eodem conveniunt undique frequentes. Multitudinis suffragiis res permittitur. Ad unum omnes Vercingetorige probant Imperatorem. Ab hoc concilio Rhemi, Lingones, Treviri abfuerunt."
Ibid. cap. 75. „Galli, Concilio principum indicto, non omnes, qui arma ferre possent... convocandos statuunt, sed certum numerum cuique civitati imperandum."

(2) *Cæs. lib.* 1. *cap.* 1. „Hi omnes (*Belgæ*, *Aquitani*, *Celtæ*) lingua . . . inter se differunt."

(3) *Strabo lib.* 4. *pag.* 176. „Sunt qui Gallos trifariam dividunt in Aquitanos Belgas & Celtas, ex quibus Aquitani à cæterorum plane differentes non lingua modo, sed & corporibus. . . . reliqui Gallica specie ne ipsi quidem omnes eodem utuntur sermone, sed aliquid nonnihil habent diversitatis."

(4) *Cæs. lib.* 7. *cap.* 3. „Ubi major atque illustrior incidit res clamore per agros regionesque significant. Hunc alii deinceps excipiunt & proximis tradunt, ut tunc accidit. Nam quæ Genabi oriente sole gesta essent, ante primam confectam vigiliam in finibus avernorum audita sunt : quod spacium est millium passuum circiter CLX."

(*a*) Ita etiam de Veromanduis, Julio-Cæsarianæ Belgicæ populo, sentit Ludovicus Coliette Tom. 1. *Mémoires pour l'Hist. du Vermandois* pag. 22. „Il n'est pas douteux, que les peuples du Vermandois n'aient parlé, „avec les autres Gaulois, une langue Générale & entendue de tous, quoi„qu'il pût y avoir en quelques lieux certains accens ou idiômes parti„culiers. Car César ne dit point qu'il se soit servi d'aucun truchement „parmi les Gaulois. D'ailleurs les Assemblées générales de ces Peuples „supposent qu'ils s'entendoient reciproquement les uns les autres. Lors„que les Druides se reünissoient pour offrir les sacrifices & juger les pro„cès, il n'est pas dit qu'ils usassent d'interpretes pour comprendre les pa„roles de leur Liturgie, ou les discours des plaideurs."

Digitized by Google

major atque illustrior incidisset res, ea clamore per agros regionesque significaretur, sic ut brevi temporis spatio ad omnes Galliarum civitates rei gestæ fama perveniret. Nisi enim, qui in agris, puta Belgicis, versabantur, eodem, quo Carnutes, Senones, Æduique, idiomate usi essent, atque hi vicissim eodem, quo Belgæ; fieri profectò non poterat, ut fama rei, puta ad Rhenum Scaldimve gestæ, ad Carnutes, Senones Æduosque tam citò penetraret, aut vicissim ab his ad Belgas transferretur.

Adhæc, cùm teste S. Hieronymo, (1) Galatæ, qui origine Tectosages & Galliæ Celticæ populus erant, propriam linguam eamdem penè habuerint, quam Treviri, qui certo certiùs Belgis annumerandi sunt, consectarium fit, ut idem ferè seu solâ dialecto diversum idioma Galliæ Belgicæ Celticæque fuerit, seu, ut Strabonis mox laudati verbis rursùs utar, quod *aliquid* dumtaxat haberet *diversitatis*. (a)

Cùm autem Belgæ ceterique Galli à Romanis subacti aut in eorum societatem adsciti essent, jamque non modò dominatoris populi jure & arbitrio Latinus sermo per Belgicam, Celticam, Aquitanicamque spargeretur, sed & ob Romanorum colonias, vel ob legionum frequentiam ad commercia, ad Cætus, ad familiares congressus, ad communem sui tutelam aliaque vitæ commoda indies fieret necessarius, invaluit apud Belgarum optimates primò, moxque ad inferiores transiit Latinus sermo, non purus ille quidem & defæcatus, sed qui nonnihil admixtum haberet exotici, quodque Romanorum delicatioribus auribus minùs placeret. Unde Cicero ad Brutum: (2) „Id tu, Brute, jam intelliges, cùm in Galliam veneris: au„dies tu quidem verba quædam non trita Romæ; sed hæc „mutari dediscique possunt."

Imò verò jam antè, quàm devicti à Cæsare Belgæ essent, fuêre inter illos Latinè periti, uti ipsemet Cæsar suo agendi modo satis testatus est, cùm litteras, ad Ciceronem apud Nervios degentem, & à Belgis obsessum, deferendas, (3) Græcè conscripsit, ne, interceptâ epistolâ, sua ab hostibus consilia

(1) *S. Hieronymus in Prologo in lib.* 2. *Commentar. in epist. ad Galatas cap.* 3. „Unum est quod inferimus... Galatas, excepto sermone Græco... propriam linguam eamdem penè habere quam Treviros." *S. Aug. de Civ. Dei lib.* 19. *c.* 7. „Opera data est, ut imperiosa civitas non solum jugum, verum etiam linguam suam domitis gentibus per pacem sociatis imponeret." *Mem. Litt. tom.* 24. *p.* 587. *Dio Cassius lib.* 60 *p.* 777. „Claudius... legatum quemdam, lycium quidem origine, Romanum tamen natum latine interrogavit, ac non intelligenti quid quæsivisset, civitatis jus ademit, dicens Romanum eum esse non debere qui Sermonem eum nesciret." Idem narrat Suetonius in Claudio *c.* 16.

(2) In Libro, qui dicitur Brutus.

(3) Cæs. lib. 5. B. G. cap. 48.

(a) „Treviorum idioma sive dialectum fuisse Teutonicam, uti & reliquorum Belgarum, non puto, quisquam dubitabit." Pontanus in Epist. ad Casaubonum.

Digitized by Google

cognoſcerentur; quod profectò timêre non poterat Cæſar Latinè eas ſcribendo, niſi jam tum Belgarum aliqui Latinè ſciſſent.

Nil mirum adeò, ſi ſaltem lapſu temporis noſtrates Belgæ, ne ipſis quidem, qui vel origine, vel & ſitu quoque Germani erant, exceptis, Latinè locuti etiam ſint, poſteaquam nempe ſuæ linguæ terminos ad ſubactas ſociaſque gentes omni ſtudio Romanus propagâſſet. (*a*) & de Batavis ſanè minimè dubitandum eſt. Si enim Arminius, ut qui, Tacito teſte, (1) Romanis in caſtris ductor popularium meruiſſet, latini ſermonis gnarus fuerit, quidni & Batavi, (2) qui viros armaque imperio diu miniſtrârant, & fœdere cum Romanis inito in ſociorum numerum relati erant? quidni & Friſii, quibus Corbulo ſenatum, magiſtratus, leges impoſuit, (3) quique apud deſcriptos ſibi ab eodem Romanorum duce agros conſederunt? De Eburonibus, Nerviis, Aduaticis, aliiſque Belgicæ populis, qui Romani ſermonis veſtigia hodieque retinent, non eſt quod dicam, cùm res ſit clarior, quàm ut probari debeat, & nota vocis *Pays-Roman* (*b*) uſurpatio abundè rem evincat.

Non tamen ſic apud noſtrates Belgas ſermonem latinum invaluiſſe, ac dominatum eſſe, arbitror, ut avitam populorum linguam interemerit. Quippe, cùm præter idioma latinum etiam ſeculo V. apud Treviros, atque adeò & Luxemburgenſes, perſeverârit propria illa lingua, quæ eadem penè, ac illa (4) Galatarum veterumque Tectoſagum erat, ita & apud reliquos Belgas avitum ſermonem unà cum latino perſeverâſſe, eò magis vero affine eſt, quòd apud hos minùs, quàm apud Treviros latini ſermonis uſus viguerit. Bilingues igitur ſub Romana periodo Belgæ ceterique Galli fuerint, quod de his non magis, quàm de Galatis, qui bilingues certò fuerunt, nec magis quàm de Maſſilienſibus mirandum eſt, qui, teſte Varrone, (5)

(1) *Tacitus lib.* 2. *Annal. cap.* 10. „Pleraque latino ſermone interjaciebat, (Arminius) ut qui Romanis in caſtris ductor popularium meruiſſet."

(2) *Id. lib.* 4. *Hiſt. c.* 12. „Nec opibus Romanis, ſocietate validiorum, attriti, (Batavi) viros tantum armaque imperio miniſtrant"

(3) *Id. lib.* 11. *Ann. c.* 19. „Natio Friſiorum . . . conſedit apud agros à Corbulone deſcriptos. Idem Senatum, Magiſtratus, leges impoſuit."

(4) *S. Hieron.* ſupra cit.

(5) Apud *S. Hieron. in lib.* 2. *Comm. in epiſt. ad Galatas, cap.* 3.

(*a*) Browerus in Præparaſceve Antiquitatum & Annalium Trevirenſium pag. 26. in hanc rem recte obſervat, illud magna cum perſeverantia cuſtoditum à Romano populo fuiſſe, ne Græcis ceteriſque provincialibus umquam, niſi Latinè reſponſa daret, quin etiam externi ſermonis uſu excuſſo, Græcos, quos plurimùm intelligebat, per interpretem loqui coactos fuiſſe non Romæ tantùm, ſed & in Græcia & Aſia. Quo ſcilicet Latinæ vocis honos per omnes gentes venerabilior diffunderetur. Hæc Batavis, Friſiis ceteriſque noſtratibus Belgis à Romanis ſubactis aut fœdere junctis aptanda.

(*b*) De *Romandua*, vernaculè *Pays-Roman*, & *le Roman-Pays* vide Topographiam Hiſtoricam Gallo-Brabantiæ Auctore J. Barone le Roy. pag. 1.

Digitized by Google

trilingues exstitêre, nimirum à Phocæensibus colonis Græcè, à Romanis victoribus Latinè, à priscis verò indigenis Celticè loqui edocti. (*a*)

Ad binum hoc idioma, Celticum nempè & latinum accessit pedetentim Francorum lingua in nonnullis Galliarum partibus, in quibus anno Christi 277. devicti à Probo imperatore Franci sedes acceperunt (1). In Nerviorum Trevirûmque fines anno Christi 291 eadem cum Francis penetravit, quos Maximianus Herculius in leges Romanas receptos in eorum arva jacentia (2) transtulit. Anno Christi 358 altiores radices agere in nostrate Belgio cœpit, cùm Julianus Francos Salios, ausos olim apud Toxandriam locum (is hodiernæ Campiniæ pars est) habitacula sibi figere prælicenter, postea dedentes se cum opibus liberisque, ut Ammianus Marcellinus (3) scribit, clementer suscepit ac quiescentes tamquam in suis lacessi vexarive vetuit. Sub medium seculum V. captis à Chlodione, Francorum rege, Tornaco & Cameraco, ac potissimùm sub ejusdem seculi exitum devicto Syagrio, firmatoque in Gallia Belgica Francorum imperio, invaluit quoque Francorum lingua; quæ qualis fuerit, mox aperiam, ubi de Belgarum ante periodum Romanam idiomate varias eruditorum opiniones discussero.

Sunt, qui Gallorum Belgarumque idioma ante Romanorum adventum Græcum fuisse, contendunt, propterea nempe, quòd in Helvetiorum castris confectas *litteris Græcis* tabulas repertas & ad se perlatas fuisse, C. J. Cæsar (4) scripserit; ac rursus, quòd Druides in publicis privatisque rationibus *Græcis litteris* usos esse, testatus sit (5). Verum enim verò quàm debilis utraque hæc sit ratio, vel ex eo liquet, quòd Cæsar non Sermone Græco, sed tantùm *litteris* seu characteribus &

(*a*) Cum Sulpitius Severus *Dial.* 1. *cap.* 20. Galliarum incolam inducit ita alteri dicentem : *Vel Celticè*, *seu*, *si mavis*, *Gallicè loquere*, non modo Celticum, sed & Gallicum recens seu Gallo-latinum idioma ineunte seculo V. in Gallis usitatum passim fuisse, non obscurè indicat. Idem hoc Barbaro-Latinum idioma indicâsse videtur Ulpianus, cùm fidei commissa quocumque scribi sermone posse, non solum Latino vel Græco, sed etiam Punico, vel *Gallicano* docet. Huc quoque spectat illud Sidonii Apollinaris ad Ecdicium epist. 3. lib. 3. : „ Mitto istic ob gratiam pueritiæ tuæ undique gentium confluxisse studia litterarum, tuæque personæ quondam debitum, quòd sermonis *Celtici* squamam depositura nobilitas, nunc oratorio stilo (utique Latino) nunc etiam Camænalibus modis imbuebatur. "

(1) *Zozimus l.* 1. *p.* 666. „ Cum Franci ad Imperatorum (Probum) accessissent, & ab eo sedes obtinuissent. "

(2) *Eumenius in Panegyrico Constantii c.* 21 „ Nerviorum & Trevirorũ arva jacentia lætus postliminio restitutus & receptus in leges Francus excoluit. "

(3) Libr. 17. cap. 8.

(4) *Cæs. lib.* 1. *cap.* 29. „ In castris Helvetiorum Tabulæ repertæ sunt litteris Græcis confectæ, & ad Cæsarem perlatæ. "

(5) *Id. lib.* 6. *cap.* 14. „ In reliquis fere rebus, publicis privatisque rationibus Græcis Litteris (*Druides*) utuntur. " Vidê *Hotomanum Francogallia cap.* 2. *pag.* 10.

Digitized by Google

elementis Græcis tabulas illas conscriptas fuisse, dicat. Ex quo non magis fit consectarium, Gallos tum temporis Sermone Græco usos fuisse, quàm ex Latinis characteribus, quos hodierni Belgæ, Galli, Germani, Angli ceterique passim adhibent, consequens fiat, Latinum idioma ipsis omnibus esse vulgare. Idem esto de alteris Julii Cæsaris verbis judicium, quibus nempe non de ipso idiomate Græco, sed de solis characteribus meminit, ac Druidum consuetudinem ea, quæ ad religionem attinebant, litteris non mandandi, alteri huic consuetudini opponit, quâ res merè politicas civilesque tabulis committebant.

Profectò linguæ Græcæ peritissimus erat Cæsar, & tamen cum Divitiacum, primi inter Æduos loci virum, ad se vocâsset, (1) cum eo non pro populi Romani Majestate, sed ex necessitate per interpretem collocutus est. Quid ita, obsecro, nisi quod Divitiacus non magis Græcè, quàm Latinè, sciret, itàque coactus fuerit Cæsar per interpretem C. Valerium Procillum, principem Galliæ provinciæ, cum eo colloqui? Quòd si Galliarum viri primarii sermonis Græci ignari fuerint, an plebeios Græcè peritos fuisse, quis credat? Quid plura? Conscriptæ abs Cæsare sermone Græco litteræ, (2) ea mente, ne, si interceptæ ab hostibus essent, sua ab iis consilia cognoscerentur, satis superque evincunt, ignotum Belgis tum fuisse sermonem Græcum.

Alii contrà, familiarem eo tempore Gallis omnibus linguam eamdem prorsus cum Germanica seu Theotisca fuisse, volunt. At priscam Belgarum ceterorumque Gallorum linguam à veteri Germanica discrepâsse, insinuat Cæsar, (3) dum Ariovistum Germanum *longinqua consuetudine* multâ linguæ Gallicæ scientiâ usum fuisse, tradit; & Tacitus, (4) ex eo capite Gothinos origine Germanos non esse, probat, quòd linguâ Gallicâ uterentur. Quæ abunde indicant, non eodem modo Gallos Germanosque antiquitus fuisse locutos.

Sunt etiam, iique admodum eruditi, qui vetustissimam Gallorum, atque adeò & Belgarum, linguam eamdem cum hodierna Brito-Cambrica (*a*) uti & cum Aremorica (*b*) fuisse,

(1) *Cæs. lib.* 1. *cap.* 19. „Divitiacum ad se vocari jubet (*Cæsar*) & quotiadianis interpretibus remotis per C. Valerium Procillum, principem Galliæ provinciæ, ... cum eo colloquitur." Vide *Cluverium G. A. lib.* 1. *pag.* 24. *n.* 10.

(2) Cæs. lib. 5. B. G. cap. 48.

(3) *Ibid. c.* 47. „Visum est C. Valerium Procillum . . . propter Linguæ Gallicæ scientiam, qua multa jam Ariovistus, longinqua consuetudine utebatur . . . . ad eum mittere."

(4) *Tacitus lib. de Germ. cap.* 43. „Gothinos Gallica, Osos Pannonica lingua coarguit, non esse Germanos." Vide *Hontheim. Prodr. pag.* 10.

(*a*) Gallicè *la langue du pays de Galles*, Flandricè *Wallische taal.*
(*b*) Gallicè *le Bas-Breton.*

Digitized by Google

affirmant. Quid ego de hac sentiam opinione, salvâ virorum illustrum pace, jam aperio. Familiare Britannorum, qui maritimas Belgicæque objectas regiones incoluerunt, idioma haud multùm ætate Taciti à vicino Gallico diversum fuisse, ex ejusdem Taciti (1) testimonio extra controversiam est. Adhæc Cantii incolæ, quos Cæsar (2) Brittannorum omnium longè humanissimos vocat, quosque non multùm à Gallica differre consuetudine, scribit, ipso quoque teste, origine Belgæ erant, utpote ex iis orti, qui (3) *prædæ ac belli inferendi causâ ex Belgis transierant . . . . & bello illato ibi remanserunt atque agros colere cæperunt.* His vicinisque Britannis, ad quos perdiscendæ Druidum disciplinæ causâ, (4) trajicere Galli quidam solebant, communem cum Gallis sermonem fuisse, aut certe non adeò dissimilem, ipsa sana ratio dictat. Ex quibus indubitatum fit, priscam Britannorum Belgarumque linguam, sin minùs planè eamdem, saltem non multùm alteram ab altera extitisse diversam.

Ast quænam ex hodiernis linguis ad priscam Britannicam eique affinem Gallicam propiùs accedunt? Brito-Cambricam Aremoricamque multi volunt; ego Flandricam non excludendam esse, contendo, tum ob jam nunc de maritimæ Britanniæ incolis dicta, tum quia veterum Gallorum ac Britannorum voces, quæ apud antiquos scriptores exstant, saltem æquè ad Flandricam, atque ad Cambro-Britannicam aremoricamque in eadem significatione accedant. Quin imò persuasum mihi habeo, eruditum quemlibet, qui æquâ lance hodiernas Aremoricas Flandricasque, voces cum antiquis Gallicis Britannicisque expenderit, Flandricas magis, quàm Aremoricas, aut Brito-Cambricas, antiquis Gallicis affines esse, facillimè mihi concessurum.

Cùm igitur aviti sermonis Belgici Gallicive reliquiæ, si non puriores apud Flandros, æquè saltem genuinæ, ac apud Brito-Cambros Aremoricosque sint, ut subjectum schema docebit (*a*); Eccur Flandricam linguam ad priscum sermonem

(*a*) Omissis Brito-Cambricis vocibus, quæ Aremoricis adeò similes sunt, ut Brito-Cambri & Aremorici, sine interpretis ope, sermonis commercia inter se habere queant, en modò priscarum aliquot vocum cum hodiernis Flandricis & Aremoricis comparationem, ex qua de ceteris judicium feras.

(1) *Tacitus de Agricola cap.* 11. „(*Britanni*) proximi Gallis & similes sunt... sermo haud multum diversus."

(2) *Cæs. lib.* 5. *cap.* 14. „Longè sunt humanissimi, qui Cantium incolunt: quæ regio est maritima omnis, neque multum à Gallica differunt Consuetudine."

(3) *Cæs. lib.* 5. *cap.* 12. „Britanniæ... Maritima pars, ab iis (incolitur) qui prædæ ac belli inferendi causa ex Belgio transierant qui omnes fere iis nominibus civitatum appellantur, quibus orti ex civitatibus eò pervenerunt, & bello illato ibi remanserunt atque agros colere cæperunt."

(4) *Id. lib.* 6. *cap.* 13. „Disciplina (Druidum) in Britannia reperta, atque, inde in Galliam translata esse existimatur. Et nunc, qui diligentiùs eam rem cognoscere volunt, plerumque illò, discendi causâ, proficiscuntur."

Digitized by Google

Belgicum propè accedere, ejusque saltem dialectum esse, non ultrò credamus?

Voces antiquæ Gallicæ Belgicæque cum terminatione Latina.	Voces hodiernæ Flandricæ cum prisca etiam terminatione.	Voces hodiernæ Armoricæ cum prisca etiam terminatione. (*a*)
Ambactus seu *Ambachtus* Cæs. lib. 6. de B. G. c. 15.	*Ambacht*	*Goaz*
Beccum Sueton. in Vitell. c. 18.	*Bec*, *Beck*	*Begou*, *Gupp*
Bardo-cucullus Martial. lib. 1. epigr. 53. & lib. 14. epigr. 126.	*Baard-Keuvel*	*Baropichourell*
Braccæ Sueton. in Jul. Cæs. c. 80.	*Broecken*, *Broek*	*Braguez moan*
Burgum Orosius lib. 7. cap. 32.	*Borgt*	*Qastell*
Carrus Cæs. lib. 1. de B. G. c. 51. Liv. lib. 10. c. 28.	*Carre*	*Qarrad*, *quaradou*
Dunum Clitophon. apud Plutarc. lib. de Fluviis c. ult.	*Dune*	*Tunenn*
Gansa Plin. lib. 10. cap. 22.	*Gans*	*Goazyen*
Isarnodorum In Vita S. Eugendi tom. 1. Jan. pag. 50. col. 1.	*Yser-deure*	*Pors houarn*
Liedus Fortunat. lib. 7. Poëm.	*Lied*, *Liedje*	*Canaoüeñ*
Linnæ Isidor. l. 19. Origin c. 23.	*Linnen*, *Lynwaat*	*Lyen*, *Lyan*
Rheda Auson. in Epist. 7. Theoni, pag. 454.	*Rhede*, *Ry-tuig*	*Carroçz*
Sapo Plin. lib. 28. cap. 12.	*Seepe*	*Savann*
Marga Plin. lib. 17. cap. 6. 7. 8.	*Marg*, *Mergel*, *Mergelsteen*	*Man-güenn marg*
Pontones Cæs. de B. G. lib. 3. c. 29.	*Ponten*, *Pontschuyten*	*Pontônnou.*

(*a*) Vide Lexicon Gallo-Celticum Gregorii de Rostrenen hoc titulo: *Dictionnaire François-Celtique ou François-Breton* &c. à Rennes 1732. in 4.

Digitized by Google

Ad veterem linguam Francicam jam me converto. Hanc ante ſeculum ſeptimum ab hodierna Francica planè diverſam fuiſſe, nemo ignorare poteſt, qui vel ad ſolos Francorum in Lege Salica vel Ripuaria idiotiſmos animum advertit, quique linguam illam Francicam Sicambris, Batavis, Friſiis, Chamavis, Bructeris, Anſibariiſque nativam fuiſſe, legit.

Ut autem, qualis antiqua Francica fuerit, paucis edicam, ſic ſtatuo : eam ſeculo ſaltem quinto & ſexto hodiernæ Flandricæ affinem fuiſſe, alteramque ab altera ſolâ diſcrepaſſe dialecto. Evincunt id innumeræ ferè voces ac loquendi formulæ, antiquis Francis hodierniſque Flandris Communes, ex quarum, brevi licet, elencho certius quilibet judicium feret, quàm ex variis, quæ adduci poſſent, argumentis.

ELENCHUS VOCUM.

FRANCICARUM.	FLANDRICARUM.
Allode	Aenlot
Bannus	Ban
Barca & Barga	Barke & Barge
Bivangium foreſti	Bevang van 't foreeſt
Bracco	Bracke, genus canis
Brachile	Bracelet
Brunus	Bruyn
Buccus pro hirco	Buc, Boc
Bunnarium	Bunner & Bunder
Burgarii	Borgers
Buticularius	Bottelier
Camera pro cubiculo	Camer
Campus pro duello vel pugna	Camp, ſtryd-camp
Capulare pro abſcindere	Kappen, afkappen
Carrucarius	Karre-man
Catal pro re mobili	Kateel, Kateil
Cativus	Katyf
Cauculator	Kokelaer, idem quod *Guychelaer*
Clocca	Clocke
Cogilus pro Globo	Coghel
Cupla	Koppel

Digitized by Google

FRANCICARUM.	FLANDRICARUM.
Cuſtumia	Coſtume
Durpilum	Durpel, Dorpel
Faidam portare	Veete draghen, iemand vyandſchap draegen
Fano pro vexillo	*Fane* ſeu *Vaene*
Flaſco	Fleſſche
Foderum pro pabulo	Voeder
Foderatura pro ſuffultura panni	*Voederinge* & Voeringe
Foreſta	Foreeſt
Foreſtarii	Foreſtiers
Francus	Franck en Vry
Gaſindus pro domeſtico	Geſinde, huysgeſinde
Gaſtaldus	Gaſthouder
Gildonia pro confraternitate	Gilde
Grafio	Grave, Graef & Greffier
Harpa	Harpe
Helmus	Helm
Heriberga	Herberghe
Heribergare	Herberghen
Houva pro prædio	Hoeve
Leudi id eſt: homines	Lieden, Luiden
Nortleudi	Noort-lieden
Mallobergium	Malleberg
Mannus	Man
Mannire	Maenen
Mariſcus	Maraſch, Moeraſch
Medo potio ex Melle	Mede
Molinum	Meulen
Molinarius	Molenaer, Meulenaer
Morgangeba	Morgen-gave
Muffulæ pro chirothecis	Moffels
Mundeburdis, pro tutela	Mondboorderye
Ortare, pro trudere	Hurten, id eſt ſtooten
Plateſiæ, penus piſcis	Platen, Pladyſen
Ratimburgium	Raedsborcht, Raedsplaetſe
Ratimburgus	Raedborger, alias Raedſchepen
Raubare, pro furari	Rooven
Roccus, pro tunica	Rock, id eſt kleed
Scabinus	Schepen
Scachum, pro raptu ex prædatione	Schaeck, unde Schaekſpel pro luſu latrunculorum

Digitized by Google

FRANCICARUM.	FLANDRICARUM.
Scancio, pro pincerna	Schenker
Scara, pro populi turma	Schaere
Schella, pro tintinnabulo	Schelle
Screon, pro ciſtula	Schryn
Scuria, pro horreo	Schuere
Sparwarius, accipiter minor	Sparware
Stava, aut *Stafa*, pro baculo, pedo, &c.	Staf
Staplus	Stapel
Tonna, pro dolio	Tonne
Trappa	Trappe
Wachta, pro excubiis	Wachte
Wantus, pro chirotheca	Wante
Warandia	Warande
Warandatio (*a*)	Warenderinge

Porrò ex hac veteri Francica Romanaque lingua, apud Belgas auſtrales Galloſque paſſim tunc temporis corrupta, prodiit lapſu temporis hodierna Gallica, qualis nunc quoque ab Eburonum, Namurcenſium, Brabantinorum auſtralium, Hannonienſium, Cameracenſium, Arteſiorum ac populorum confinium vulgo adhibetur, ac demùm ex hac emerſit hodierna lingua Francica, Academicorum Pariſienſium ac chriſtianiſſimi Regis aulicorum ſtudio, ſuis fæcibus purgata, totâque ferè Europâ à viris primariis minimè ignorata.

De Belgarum Adſcriptitiorum idiomate non ſeorsùm, nedum multis agam, quandoquidem, quæ jam ſuprà de Belgis in univerſum dicta ſunt, aptari facilè iis queant. Monuiſſe ſufficiat, eos, ut origine Celtas, Celtico primùm ſermone, dein Theotiſco ſeu Germanico, poſtea Latino quoque, (at præ ceteris minùs diu minúſque frequenter) ac denique ante ſeptimum ſeculum veteri Francico uſos eſſe ſermone, qui ab Hollandis præſertim excultus & perpolitus fuit.

(*a*) Auctores, qui horum ſimiliumque vocabulorum meminerunt, dat Vredius in ſua Flandria Ethnica cap. 20. Videri etiam poteſt Frid. Lindenbrogius in Gloſſario ad Codicem legum antiquarum.

Digitized by Google

PARS TERTIA

DE AGRICULTURÆ STATU

Apud Belgicæ populos ante ſeculum æræ chriſtianæ ſeptimum.

SI Julio Cæſari antiquiſque ſcriptoribus fides ſit, uti ſanè eſſe debet maxima, non exiguum majoribus noſtris fuit Agriculturæ ſtudium. Ac primò quidem, teſte Cæſare, Germani, qui, ſuperato Rheno, fertiles Belgicæ regiones occupârant, vagari quaquaverſum mox deſierunt, &, ubi agros nacti erant, *ibi propter loci fertilitatem conſederunt*, (1) quò nempe hos ſibi ſuiſque utiliter excolerent. Quàm non ſegnes in exercendis agris *Belgæ* fuerint, documento ſunt Nervii, qui quinquaginta armatorum ſuorum millia (2) ſine alterius populi ſubſidio nutrire facilè potuerint, quibus ſi ſenes, mulieres, junioreſque jungamus, ingens profectò frumenti copia ad manum eſſe debuit, atque adeò & non exiguus agrorum conſitorum numerus fuerit, neceſſe eſt.

Adhæc tam frequens apud Belgas vicinoſque Gallos lini cultura fuit, ut Gallia tota *linnæ textrino*, ut Plautus loquitur, coöperta eſſet (3). Quod quidem fieri nullo modo potuit, niſi Belgæ veteres pari ferè ſtudio, ſolertiâque, ac Belgæ hodierni, agros ſuos pingui fimo ſaturâſſent ſollicitèque exercuiſſent. Quin imò, teſte Strabone, ea fuit Gallorum in univerſum, Belgarumque adeò ſub his comprehenſorum, indoles, ut quantùm penes ſe erat, nullas terras ſinerent jacêre otioſas, niſi quà paludes aut ſilvæ obſtabant, ac vel in hiſce ipſis ſua pecora alebant, uti etiam ex Cæſare locis variis intelligi datur.

Juverit Strabonis verba latinè reddita adduxiſſe, vel idcircò etiam, quòd auctor hic Agriculturæ in Galliis ſtatum, qualis ſuo tempore erat, cum antiquo conferens, hoc unum, inter utrumque, diſcrimen ponat, quòd ſui temporis Galli cogerentur, poſitis armis, agros colere, cùm antiquitùs non inermes, ſed utcumque ſaltem armati, vel ad arma expediti, idem facere ſolerent. *Reliqua omnis Gallia*, inquit (4), atque adeò & Belgica, *multum fert frumenti*, *milii*, *glandis ac omnigenum*

(1) *Cæſ. lib.* 2. *B. G. c.* 4. „ Reperiebat (*Cæſar*) pleroſque Belgas eſſe ortos à Germanis, Rhenumque Antiquitùs tranſductos, propter loci fertilitatem ibi conſediſſe. „

(2) Ibid.

(3) Apud Iſidorum lib. 19. Orig. cap. 23. *Linnæ* Saga quadra & mollia ſunt. De quibus Plautus: „Linnæ coöperta eſt textrino Gallia. „

(4) *Lib.* 4. *pag.* 178.

Digitized by Google

alit pecus : nihil in ea otiosum est, nisi quà paludes aut silvæ obstant : (a) quamquam & illa loca incoluntur majore hominum copia, quàm accuratione . . . Viri bello, quàm agriculturâ, meliores : nostro tamen tempore coguntur, positis armis, agros colere.

Ab hac Belgarum in colendis agris diligentia non parùm aberant Transrhenani nostratis Belgii incolæ, ut qui ex Cæsaris testimonio (1) *agriculturæ non studebant* seu multùm operæ laborisque ei non impendebant, quique nec frugiferas (2) colebant arbores, in eo à Cisrhenanis longè differentes. Quippe id moris erat Germanis, ut vitam omnem in venationibus (3) exigerent, lacte & caseo & carne plerùmque vescerentur. Non, ut Cisrhenani & genuini Belgæ, certum agri modum propriosque fines habebant, sed magistratus ac principes in annos singulos gentibus cognationibusque hominum, qui unà coierant, quantum eis & quo loco visum esset, attribuebant agri, annoque post aliò cogebant transire. Quo quidem modo apud Transrhenanos non omnes agri otiosi jacebant; at sic non poterat non apud eos, quàm apud genuinos Belgas, frumentum rarius cariusque esse ; neque horum agri diversitate frugum lætaque segete cum Belgicis comparari ullatenus poterant.

Ut fertilissimum, teste Tacito (4), Belgicæ solum erat, Galliaque, (5) quà septentrionem respicit, frumenti præcipuè & pabuli ex sese ferax erat, ita minimè mirandum est, sub Romanorum imperio Belgas, seu, ut Marci Antonii in funebri Cæsaris oratione verbis utar, (6) *Galliam, in servitutem redactam, agriculturam, sicut ipsam Italiam, exercuisse.*

Cum igitur Strabonem audis, (7) Gallos universim *bello, quàm agriculturâ, meliores* esse, pronuntiantem, cave sic eum

(1) *Cæs. lib.* 6. *B.G.c.* 22. „Germani... Agriculturæ non student, majorque pars victûs eorum lacte & caseo & carne consistit : neque quisquam agri modum certum aut fines proprios habet : sed Magistratus, ac Principes in annos singulos gentibus cognationibusque hominũ, qui unà coierunt, quantum eis, & quo loco visum est, attribuunt agri : atque anno post aliò transire cogunt ... ne assidua consuetudine capti, studium belli Agriculturâ commutent. „

(2) *Tac. lib. de G. c.* 5. „Terra .. .. satis ferax, frugiferarum arborum impatiens.„

(3) *Cæs. lib.* 6. *B.G.c.* 21. „Vita omnis in venationibus, atque in studiis rei militaris consistit. „

(4) *Tacit. Hist. lib.* 4. *c.* 73. „Eadem semper causa Germanis transcendendi in Gallias, libido atque avaritia, & mutandæ sedis amor; ut, relictis paludibus & solitudinibus suis, FECUNDISSIMUM hoc solum, vosque ipsos possiderent. „

(5) *Pomponius Mela lib.* 3. *c.* 2. „ Ad Septentriones . . . terra est frumenti præcipuè & pabuli ferax. „

(6) *Dio Cassius lib.* 44. *pag.* 262. „ Omnis ista Gallia, quæ quondam Ambrones Cimbrosque nobis immisit, in servitutem redacta, Agriculturam, sicut ipsa Italia, exercet. „

(7) *Strabo lib.* 4. *pag.* 178. „ Mulieres fœcundæ sunt & educatrices bonæ, & viri bello, quàm Agriculturâ, meliores. „

(*a*) Notum est, post Strabonis tempora complures nostratis Belgii paludes exsiccatas, non mediocres silvas multis locis interlucatas ac dumeta plurima excisa fuisse; unde, sublatis hisce Agriculturæ obstaculis, ac crescente indies incolarum industria, non potuit non deindè multò major, quàm ætate Strabonis, frumenti aliarumque frugum exoriri copia.

Digitized by Google

intelligas, ac si sibimet ipse contradiceret, aut ac si nulla vel exigua dumtaxat fuisset Belgarum in excolendis agris pascuisque industria, quandoquidem ipse jam suprà tantam eis diligentiam studiumque agriculturæ tribuit, ut nullum terræ spatium, quantùm penes illos erat, (*a*) otiosum linquerent; sed sic scriptoris verba expone, ut Galli universim, etsi magnoperè agriculturâ excellerent, majorem tamen à virtute bellica laudem mererentur.

Et verò, quanta fuerit Belgarum sub Romana periodo in alendis conserendisque agris industria, sigillatim exponit Plinius locis variis, è quibus unum alterumve in medium producere, visum est. Et libro quidem 17., ubi cap. 5. terram tenuem injecta pingui emendari posse negasset, utiliorem terræ emendandæ colendæque modum illicò cap. 6. assignat, quem Britannis Gallisque multò usitatum, imo ab ipsis inventum ait, nimirùm si Marga (*b*) terræ injiciatur, uti hodieque in Belgio, at in Flandria præsertim Artesiaque fieri cernimus. Ipsum Plinium loquentem audi: *alia est ratio, quam Britanniæ & Gallia invenêre, alendi eam ipsâ* (terram terrâ), *quod genus vocant Margam* (1). *Spissior ubertas in ea intelligitur* &c. Ac mox: *agricolarum ingenia profecisse*, variasque Margæ species ab iis adhibitas fuisse, narrat; *duo*, inquit, *genera fuerant. Plura nunc exerceri cœpta, proficientibus ingeniis*; quæ qui vult sigillatim cognoscere, is Plinium (2) adeat. Sufficit mihi, sub Romana periodo Belgicos agricolas in alendis agris, non minùs quàm hodiernos, subindè industrios, imò & hisce, quòd hunc terræ fæcundandæ modum invenerint, solertiores ostendisse.

(1) Vide Cangii Lexicon verbo *Marla*.

(2) Lib. 17. c. 6. & seqq.

Sed en singulare eorum in conserendis agris industriæ documentum. Seculo Christi primo, annoque tertio antequàm Plinius naturalis historiæ librum decimum octavum scriberet, fuerant segetes in Belgica „ ac nominatim in regione Trevirensi, hieme prægelidâ captæ, ut nulla indè colligendæ messis spes esset super. Invenit malo huic remedium Belgarum industria. Mense Martio campos suos resarriverunt, rursusque

(*a*) Id est: Ubi nec paludes, nec silvæ, nec dumeta obstabant, ex omni terræ spatio commodum saltem aliquod aut suis aut gregum suorum usibus capere Belgæ satagebant.

(*b*) Gallicè *Marle*, *Margne* & *Marne*; Flandricè *Mergel*.

Digitized by Google

conseverunt, eo eventu, ut uberrimas messes indè habuerint (1). Quod nostris etiam temporibus pari fructu à quibusdam agricolis in Flandria & Brabantia subindè factum, comperio. Longior sim, si singula frumenti linique genera, (2) quæ in Belgicis agris creverunt, hìc enumerem. Ad arbores transeo.

Tametsi Vitium in Galliis colendarum libertatem Lex Domitiani (*a*) coercuisset, tamen postquam Probus Imperator Gallis, Hispanis, Britannisque indulsisset, ut Vites haberent (3), frequentissima, præsertim ad Mosellam Mosamque, Vinearum cultura fuit minimèque neglecta in illis Belgii nostri regionibus, quæ Meridiem Eurumque respiciunt, uti ex Ausonio in Mosella (4) ac vetustis ad Belgium spectantibus Diplomatis, in quibus Vinearum mentio fit, abundè colligitur. Arbores quoque varii generis Belgæ plantârunt, puta Betulas, Platanos, Quercus, Salices, Ulmos, Taxos, Malos, Cerasos, &c., ut fidem facit Plinius locis variis (5). Ad Transrhenanos modò nos tempus & rerum ordo vocat.

Transrhenanos populos ante Cæsaris in Belgica expeditiones, agriculturæ non studuisse, nec certum agri modum propriosque fines habuisse, ipsemet, ut suprà vidimus, affirmat Imperator. Verùm, posteaquam Romani suum ad Rheni ripam firmâssent imperium, agrosque non sine opimo fructu colere cœpissent, aliam apud Transrhenanos faciem induit Agricultura, ac Frisii nominatim vel Romanorum agros colentium exemplo moti, vel agriculturæ commoda, rerum usu, meliùs edocti, eos ipsos agros, qui Romanorum militum usui sepositi erant, non expectatâ, ac ne petitâ quidem à Romanis facultate, occupare gestierunt, (6) moxque & domos figere

(1) Plinius lib. 18. cap. 20.

(2) Vide Plinium lib. 18. cap. 7, & seqq. & lib. 19. cap. 1.

(3) *Vopiscus in Probo. c.* 18. „Gallis omnibus & Hispanis ac Britannis permisit (Probus) ut Vites haberent vinumque conficerent.“ Vide etiam Aurelium victorem de Cæsaribus, cap. 37, Eutropium, Histor. Rom. lib. 9. c. 11. pag. mihi 574. aliosq.

(4) ỷ. 151. & seqq.

(5) Lib. 15, 16, 17.

(6) *Tacit. lib.* 13. *Annal. cap.* 54. „Frisii Juventutem saltibus aut paludibus imbellem ætatem per lacus admovere ripæ (Rheni) agrosque vacuos & militum (Romanorum) usui sepositos insedêre . . . . jamque fixerant domos, semina arvis intulerant, utque patrium solum exercebant, cùm Vibius Avitus, ... Minitando vim Romanam, nisi abscederent Frisii veteres in locos . . . perpulit Verritum & Malorigem preces suscipere . . . Nero . . . Frisios decedere agris jussit. Atque illis aspernantibus auxiliaris eques repentè immissus, necessitatem attulit, captis cæsisve qui pervicaciùs restiterant.“

(*a*) Teste Suetonio in Domitiano cap. 7. Existimaverat Domitianus, Vinearùm studio negligi arva. Philostratus in Vita Apollonii lib. 7. latæ legis causam affert seditiones, ex tumulentia ortas.

Digitized by Google

& semina arvis inferre, utque patrium solum exercere cœperunt, jam prorsus majoribus suis ea in re meliores, tanto loci & agriculturæ studio capti sunt, ut insessis arvis arceri per vim debuerint.

Haud dubium, quin Ansibarii, qui eosdem agros dein occupârunt (1), pari diligentia eos exercuerint, seminaque intulerint arvis, spe tamen sua frustrati, ut Tacitus (2) narrat. Adhæc cùm copiosi Frisiis vicinisque essent pecudum & boum greges, possentque exiguo tempore terras quaslibet pingui fimo saturare, quidni re ipsa id fecisse, ac terras suas ita exercuisse, credamus, ut hæ Cisrhenanis pinguedine frugumque varietate atque abundantiâ nequaquam jam cederent? Sanè hordei frumentique copiam sat magnam in his quoque partibus crevisse, non obscurè Tacitus (3) indicat; ex quibus de ceteris frugibus non inanem facias conjecturam. Imò verò cùm verisimile omnino sit, Transrhenanos æquè ac Cisrhenanos sub periodo Romana ingenio & agriculturæ studio profecisse, haud abs re, quæ suprà de Cisrhenanis asserui, Transrhenanis quoque hodierni Belgii incolis aptari posse, censeo. Quæ enim Tacitus lib. de Germ. cap. 26. tradit (4), hæc de Germanis quidem in commune, seu de plerisque Germaniæ gentibus, non verò de omnibus singulisque ac nominatim de Frisiis intelligenda esse, idcirco existimo, quòd eos ipse Tacitus sub Romana periodo agriculturæ admodùm studiosos exhibuerit.

Ceterùm ne quis existimet, neglectum in Belgio sub Romanis fuisse agrorum cultum, subdo pauca pro multis testimonia, ac primò quidem illud Imperatoris Probi ad Senatum: (5) „ Arantur Gallicana rura barbaris bobus, & juga Germanica „ captiva præbent nostris colla cultoribus: pascuntur ad no„ stram alimoniam gentium pecora diversarum: equinum pe„ cus nostro jam fœcundatur equitatui: frumento barbarico „ plena sunt horrea. „ Hæc ad annum æræ Christianæ 276. Imperator Probus; & Eumenius in Panegyrico Constantii (6) Nerviorum & Trevirorum arva jacentia, barbarorum nempè incursionibus priùs vastata, à lætis postliminiò restitutis, & à receptis in Romanas leges Francis sub seculi tertii finem exculta fuisse, itidem fidem facit. Practereà à Chamavis Frisiisque neglecta non fuisse arva, at contrà fructuosè exculta, idem

(1) *Tacit. lib. 13. Annal. c. 55.* „ Eosdem agros Ansibarii occupavêre, validior gens, non modò suâ copiâ, sed adjacentium populorum miseratione: quia pulsi à Chaucis & sedis inopes, tutum exsilium orabant. „

(2) Ibid. cap. 56.

(3) *Id. de Mor. Germ. cap.* 23 „ Potui humor ex hordeo aut frumento in quamdam similitudinem vini corruptus. „

(4) *Tacit. lib. de Germ. c. 26.* „ Arva per annos mutant & superest ager: nec enim cum ubertate & amplitudine soli labore contendunt, ut pomaria conserant, & prata sepiant, & hortos rigent. Sola terræ seges imperatur.. Autumni perindè nomen ac bona ignorantur. „

(5) Vopiscus in Probo cap. 15.

(6) Cap. 21.

Digitized by Google

quoque Eumenius ostendit, dum ita loquitur (1) " Arat ergo „ nunc mihi Chamavus & Frisius, & . . . . exercitio squalidus operatur, & frequentat nundinas meas pecore venali, „ & cultor Barbarus laxat annonam. „

(1) *In Panegyr. Constantii cap.* 9.

Denique Claudianus, Stiliconis (2) per Rhenum iter anno chr. 399. enarrans, Belgas, Francosque Salios agriculturæ operam dantes pecoraque tutò pascentes repræsentat, ita canens:

(2) Lib. 1. de Laudibus Stiliconis ℣. 221. & seqq.

Ut *Salius* jam rura colat, flexosque *Sicambri*
In falcem curvent gladios . . . .
Ut jam trans fluvium non indignante *Cayco*
Pascat Belga pecus mediumque ingressa per alveum
Gallica Francorum montes armenta pererrent.

Nunc agriculturæ sub Francis statum prosequamur. Docent nos conditæ à Francis Saliis Ripuariisque leges, nostroque in Belgio olim sedulò observatæ, vix quidquam adeò iis cordi fuisse, quàm ut agrorum cultura nihil unquam detrimenti caperet. Hinc, ne damnum messibus inferretur, lege Salicâ tit. 10., & Ripuariâ tit. 82., sedulò cautum, cernimus. Hinc sigillatim, ne quis in alienam messem aut in vineam, pratum, terram aratro versam, pecora immitteret, ne villæ alienæ noceret, ne sepem rumperet alienam, ne in hortum fundumve alienum, rapis, fabis, pisis lentibusve consitum ingrederetur, ne *spicario*, seu horreo clauso, neve *machalo*, seu horreo non tecto, quis noceret, ne arboribus corticem detraheret, ne in agro alieno arbores insertas excideret, ne pomariis arboribusque domesticis damnum inferret, ne quis alteri equos, oves, agnos, boves, vaccas, vitulos, porcos, capras, anseres, anates, gallinas, aliaque ejusmodi surriperet, severissimè totidem disertis legibus interdictum, videmus. Quid ita, obsecro, nisi quia Franci veteres omni studio Agriculturam promovere, eique prodesse, modis omnibus vellent, quo quidem conatu hodiernis suis nepotibus cedere nequaquàm debuerunt. Quid, quòd, teste Procopio (3), Franci quoque terras jacêre incultas, plerúmque passi non sint, ut contrà, cùm ipsi unà cum priscis indigenis eas colere per se nequirent, Britannis, seu Britonibus, aliisque advenis passim concesserint, ea ferè lege, ut has ipsi excolerent; sedesque illic collocarent.

(3) *Lib.* 4. *de Bello Gothico cap.* 20. *pag.* 620.

Digitized by Google

PARS QUARTA
DE COMMERCII STATU
Apud Belgicæ Populos ante seculum æræ Christianæ septimum.

Etsi Nervii, vernaculis frugibus mercibusque contenti, nihil vini, ceterarumque rerum, ad luxuriam pertinentium „ ad se inferri (1), patiebantur; magna nihilominùs reliquis Belgis Transmarinarum rerum notitia (2) fuit, hæcque multa ad copiam usúsque vitæ necessarios commodosque, largita ipsis abundè fuit. Quæ sanè absque mutuo cum exteris commercio fieri nequivisse, manifestum est. Præterea mercatores exteros ad Gallorum Belgarumque oppida non raro divertisse, fidem quoque facit Cæsar (3)(*a*). Vicissim autem dubitandum non est, quin Belgæ non raro merces suas ad Transrhenanos aliosque vicinos miserint, seque ipsi, lucrum indè percepturi, in viam dederint. Etenim, nisi id factitâssent Belgæ, nisi quæstui pecuniæ mercaturæque diligentiùs studuissent, cur Mercurio, ut viarum itinerumque duci (4), ut ad quæstus pecuniæ mercaturasque vim maximam habenti, præcipuos detulissent honores (*b*), cur statuas ei erexissent, ut sibi Deum hunc propitium redderent, cur plenum pecuniâ marsupium manu tenentem repræsentassent? Nihil tamen simile abs Transrhenanis tunc temporis factum legitur, imò, teste Cæsare (5), hi Solem dumtaxat, Vulcanum & Lunam Deorum numero habebant; Mercurium verò, ut viarum ducem, Commerciique patronum, non secùs ac Deos reliquos, ne famâ quidem sub Celtica periodo, seu Cæsaris ætate, acceperant.

Cùm autem idem Cæsar (6) scribit, mercatoribus ad Transrhenanos aditum fuisse *magis eò*, ut, quæ Germani bello ce-

(1) *Cæs. lib.* 2. *B.G.c.* 15. „ Quorum (*Nerviorum*) de natura moribusque Cæsar cùm quæreret, sic reperiebat: nullum aditum esse ad eos mercatoribus: nihil pati vini, reliquarumque rerum ad luxuriam pertinentium, inferri. „

(2) *Idem lib.* 6. *cap.* 24. „ Gallis autem propinquitas, & Transmarinarum rerũ notitia multa ad copiam atque usus largitur. „

(3) *Idem lib.* 4. *cap.* 5. „ Est autem hoc Gallicæ consuetudinis, ut . . . . . mercatores in oppidis vulgus circumsistat. „

(4) *Id. lib.* 6 *c.* 17.

(5) *Idem lib.* 6. *cap.* 21. „ Germani . . . . Deorum numero eos solos ducunt, quos cernunt, & quorum opibus apertè juvantur, Solem, Vulcanũ, & Lunam: reliquos ne famâ quidem acceperunt. „

(6) *Idem lib.* 4. *cap.* 2. „ Mercatoribus est ad eos (Germanos) aditus, eò magis, ut quæ bello ceperint, quibus vendant, habeant, quàm quò ullam rem ad se importari desiderent. „

(*a*) Atque hinc emendandus D. Melot, qui nescio quibus Cæsaris testimoniis (nec enim vel unum disertè laudat) omnem commercii usum, Julii Cæsaris tempore, Galliæ Belgicæ abjudicat. Verba habes Tom. 16. *Mémoires de Litterature* pag. 164. in fine.

(*b*) „ Il ne faut pas de plus sûre preuve de leur application au Commerce, que le culte, qu'ils rendoient à Mercure. „ Huet, Histoire du Commerce & de la Navigation des Anciens chap. 39.

Digitized by Google

pissent, ab iis emerent, quàm ut Germani à mercatoribus peregrinas merces sibi compararent, hæc non eo sensu exponenda sunt, ac si Germani omnes nullas planè merces à vicinis populis, seu rerum commutatione, seu paratâ pecuniâ coëmerent, sed sic, ut Transrhenani frequentiùs res bello captas mercatoribus advenis venderent, quàm ipsi peregrinas merces ab hisce in patria sua emerent, aut aliò emptum irent. Quæ adeò minimè obstant, quominùs Belgæ aliquando cum vicinis Transrhenanis negotiati fuerint, ac modò ferarum pellibus frumentum vel linum, modò suillis salitisque carnibus lanam, texta è lino saga, aut ex canabe vela, aliasque id genus merces cum aliis mercibus commutârint, imò & fixo subindè argenti pretio vendiderint coëmerintve, non sinè mutuo lucro, prout mercatores singuli industriâ valebant.

Ceterùm quàm bonâ fide tunc inter sese mercatores Belgæ Gallique egerint, testis nobis luculentus est Pomponius Mela, (1) dum eos quandoque non numeratâ pecuniâ, sed solâ emptoris obstrictâ fide, merces suas vendidisse, tamque indulgenter cum debitoribus egisse, narrat, ut *negotiorum rationem & exactionem crediti* differrent ad inferos, ubi scilicet pecuniam sibi debitam se recepturos, credebant, in hac quidem re falsi ac stulti, at, quantùm ad bonam fidem pertinet meritò commendandi, imitandique ætatis nostræ mercatoribus. Sed, *Damnosa quid non imminuit dies!* at de his satis.

Frequentiora multò quæstuosioraque sub Romana periodo Belgarum commercia fuerunt, siquidem habere fidem liceat laudatæ suprà M. Antonii funebri Cæsaris orationi. Hic quippe non *Mosam* tantùm, sed & *Rhenum* (2) *Oceanumque* sub finem vitæ Julii Cæsaris navigatum jam tum fuisse, perhibet. Unde Colligi datur, ab eo tempore non modò genuinos Belgas seu Cisrhenanos, sed & adscriptios seu Transrhenanos merces suas ad vicinos longèque dissitos populos navigiis deportare, ac vice versa exoticas merces, commercio comparatas, navigiis revehere solitos fuisse.

Ut de Transrhenanis id credamus (de Cisrhenanis enim dubium esse nullum potest) non parùm rursus suadet introductus tunc ad Germanos eximius quidam Mercurii cultus, (3)

(1) *Pomponius Mela lib.* 3. *cap.* 2. „Cum mortuos cremant, ac defodiunt apta viventibus olim negotiorum ratio, etiam & exactio crediti deferebatur ad inferos."

(2) *Dio Cassius lib.* 44. *pag.* 262. „Tam vero tuta omnia constituit (*Cæsar*) ut ab ipsis Gallis in Belgicam, adeoque in Britanniam transitus patuerit... Navigatur non Rhodanus tantum, Ararisque sed & Mosa & Ligeris & ipse Rhenus ipseque adeo Oceanus."

(3) Tacit. de Mor. Germ. cap. 9.

Digitized by Google

impellente haud dubiè eâdem, quæ Cisrhenanos olim moverat, venerationis causâ, quod nempe viarum atque itinerum ducem & ad quæstus pecuniæ mercaturasque eum vim maximam habere, Germani quoque jam crederent. Hanc pariter sententiam suffulciunt inventa Damburgi in Zelandia, imò, & Transrhenum, Neptuni & Nehaleniæ Deæ simulacra, (*a*) eisque ob receptas feliciter navigiis merces soluta vota, de quibus consulat Lector additiones ad Vredii Lib. Prod. 2. pag. XLVII. & seqq.

Germani, qui proximi ripæ Rheni degebant, atque adeò Frisii vicinique Belgæ adscriptitii, ut auctor est Tacitus, (1) jam non plerùmque solâ mercium permutatione, sed paratâ pecuniâ mercabantur, hincque *ob usum commerciorum aurum & argentum in pretio habebant*; imò verò Romanæ pecuniæ formas quasdam præ aliis eligebant, veterem nempe ac diù notam pecuniam, seu serratos bigatosque nummos, (*b*) quòd hi imperatorum denariis meliores ponderosioresque essent. (2) Ex iis tamen fænus agitare & in usuras extendere, ignotum iis tunc erat. Undè & eorum in exercenda mercatura faciendoque quæstu solertiam prudentiamque simul & æquitatem videre licet.

Modò ad singularia quædam descendo: utì Germanis, qui procul à Rheno degebant, nullus erat per commercia cultus, (3) ita ex adverso qui proximi ripæ erant, per commercia eas sibi res comparabant, quæ ad corporis cultum vitæque commoda conferrent. (4) Vinum quoque mercabantur tunc & Transrhenani & genuini Belgæ. Nec dubitem, quin & ad Cisrhenanos (5) jam multò frequentiùs, quàm sub Celtica periodo, mercatores exteri commeârint, eaque intulerint, quæ priùs Belgæ severiores passim respuerant.

(1) *Tacitus lib. de Germ. cap.* 5. „Proximi ob usum commerciorum aurum & argentum in pretio habent, formasque quasdam nostræ pecuniæ agnoscunt atque eligunt: interiores simplicius & antiquius permutatione mercium utuntur. Pecuniam probant veterem & diu notam, Serretos, Bigatosque. Argentū quoque magis quam aurū sequuntur, nullâ affectione animi sed quia numerus argenteorum faciliori usui est promiscua ac vilia mercantibus."

(2) Ibid. cap. 26.

(3) *Idem. cap.* 17. „Gerunt & ferarum pelles proximi ripæ negligenter, ulteriores exquisitiùs, ut quibus nullus per Commercia cultus."

(4) Idem cap. 23.

(5) Diodor. Sicul. Lib. 5. pag. 804.

(*a*) Simulacra illa etiam ad indigenas mari vicinos Romanisque subditos, non vero ad Francos dumtaxat referenda esse, ipsæ Latinæ inscriptiones ac simulacrorum forma & inventa cum eis Romanorum Imperatorum numismata satis apertè demonstrant.

(*b*) Serrati nummi, de quibus Tacitus cit. cap. 5. ii sunt, quorum margines Serræ instar incisi sunt primoque aspectu agnosci poterant sinceri; *Bigati* verò vocantur, qui Bigas exhibebant, erantque argento optimo: quales vidi in collectione nummorum consularium, quæ apud Bollandianos socios Antverpiæ exstat. Porrò Germani argenteos hosce nummos magis quàm aurum sequebantur, quod numerus argenteorum facilior usui esset promiscua ac vilia mercantibus. Ita Tacitus ibid.

Digitized by Google

Tunc Belgæ quoque Gallique, non se patriæ finibus continentes, aliò vicissim proficiscebantur, & Anserum plumas ipsosque Anseres (1), coactas ex lana vestes (*a*), lanas in tomenti (*b*) usum versas, textosque pannos (2) ac scutulis divisos, frumentum, linum, indumenta linea, eaque purpurâ quoque ornata, Saga, salsamentorum copiam, ac verbo uno fabricatas apud se merces non vicinis modò populis, (3) sed & subindè Romæ & plerisque Italiæ partibus suppeditabant, quo pacto aurum opesque illas acquisivisse videntur, de quibus apud Tacitum (4) mentionem facit Imperator Claudius.

Porrò num inter Mercatores, qui in Britannia stannum emere, indèque in Galliam navibus primùm, deindè terrestri itinere ad Rhodanum usque (5) transferre solebant, numerandi certò sint Belgæ, ac nominatim quidem Morini Menapiique, nemo veterum disertè definit; ut tamen è Britannia stannum à Belgis in patriam deportatum divenditumque credamus, movent eorum cum Britannis maritimis antiqua necessitudo (6), affinitas, vicinia, ac denique vix non indefessa in mercando Belgarum diligentia.

Denique, quod speciatim de Trevirica regione Ausonius (7) scripsit, eam nempe Imperii vires *aluisse*, *vestisse*, *armâsse*que

(1) Plin. Lib. 10. cap. 22.

(2) Vide Plinium infra.

(3) *Strabo lib.* 4. *p.* 197. „ Tam copiosi autem sunt iis (*Belgis*) pecudum & suum greges, ut sagorum & salsamentorum copiam non Romæ tantùm suppeditent, sed & plerisque Italiæ partibus. „

(4) *Tacit. lib.* 11 *Annal. cap.* 24. „ Jam moribus, artibus, affinitatibus nostris mixti (*Galli*), aurum & opes suas inferant potiùs, quàm separati habeant. „

(5) *Diodorus Siculus lib.* 5 *pag.* 302. „ Indè (*è Britannia*) stannum ab „ incolis emptum in Galliam mercatores transferunt. Et xxx. dierum iti„ nere per Galliam pedestri sarcinas equis impositas, ad Rhodani tandem „ ostia deportant. „

(6) *Dio Cassius lib.* 39 *pag.* 120. „ Britanni... Morinorum quosdam ami„ citiâ sibi junctos ad Cæsarem mittunt, pacemque petunt. „

(7) *Ausonius de claris Urbibus*, ℣. 29 & *seqq.*

Trevericæque urbis solium, quæ proxima Rheno,
Pacis ut in mediæ gremio, secura quiescit;
Imperii vires quod alit, quod vestit & armat...
Largus tranquillo prælabitur amne Mosella,
Longinqua omnigenæ vectans commercia terræ.

(*a*) Coactas ex lana vestes.) Gallicè *Des Vêtemens ou habits d'étoffes de laine faits au foulon.* Flandricè *Kleedingen gemaekt van Wolle stoffen, die door Volders-konst voltooyt zyn.* Opifices in eo genere Lanarii Coactores in vetustis lapidibus appellantur, & Lanarii Coactiliarii apud Gruterum pag. 648.

(*b*) Tomentum est id, quo culcitæ infarciuntur. Harduinus putat, hoc loco indicari lanam, quæ ex pannis, seu textis laneis extrahitur ab iis, qui ea poliunt, ut deindè ea culcitæ farciantur. Gallis *Bourre-lanice: Laine-bourre.* Varro Lib. 4. de Ling. Lat. pag. 40. „ Posteaquam transierunt ad culcitas, quod in ea Sagum aut Tomentum, aliudve quid calcabant, ab inculcando culcita dicta. „

Digitized by Google

id ipsum ceteris Belgii nostri regionibus adscribi posse, ex duplici causa mihi facilè persuadeo, tùm quòd hæ saltem æquè ac illa, frumento, lino, lanâ, ferro, ceterisque ejusmodi mercibus opificiisque abundabant, quibus adeò quaquaversùs deportatis divenditisque, imperii vires ali, vestiri, armarique poterant; tum quòd hodierni Belgii incolæ Oceano propiores, sagacioris diligentiorisque in mercando industriæ palmam nullo umquam tempore vicinis suis concessisse legantur.

Quòd si, uti verisimile omnino est, Imperatorum Valentis & Valentiniani constitutio de *nundinis & mercatoribus* (1) non secùs Belgas spectârit, ac Constantii constitutio (2), quâ *Navicularios omnes per orbem terrarum, per omne ævum, ab omnibus oneribus . . . securos . . . immunesque esse præcepit*, quâque naves eorum ad quodcumque littus accessissent, ipsis invitis teneri, severissimè vetuit, imò verò si, uti hæc constitutio indicat, navicularia functio tunc non fuerit infra dignitatem curialem, ac ne infra equestrem quidem & senatoriam, uti Gothofredus pag. 62. observat; fallor vehementer, nisi vel ab ipsis Belgarum primoribus exercita quoque tunc fuerint commercia, quorum nempe securitati tam sedulò Imperatores invigilabant, quæque concessis etiam favoribus promovere nitebantur, ut rursus patet ex constitutione Gratiani, Valentiniani & Theodosii Imperatorum, *corpori naviculariorum* inscripta (3), quâ *ad negotiationis commodum advehendasque merces solertem curam competentium judicum Imperatores exigunt.*

(1) Cod. lib. 4. tit. 60 de Nundinis.

(2) Cod. libr. 13. tit. 5. de Naviculariis, v.

(3) Cod. 13. tit. 5., 16.

Atque hinc quoque, quis fuerit sub Francis seculo Christi quinto ac sexto commerciorum in Belgio status, conjecturâ admodùm plausibili in universum assequi datur. Quippè, cùm Belgarum diligentia sub Francis intermisisse non probetur, nec minùs sub illis, quàm sub Romanis, Romanæ leges, agricultura, omnisque generis opificia floruerint; quid ni pari passû commercia stetisse censeamus? sed enim singularia quædam testimonia obiter saltem perstringamus. Teste Procopio (4), eam Galliæ oram, seu littus regionis, quæ Britanniæ Oceani Insulæ respondet, currente seculo sexto plurimi prætexebant vici, in quibus habitabant piscatores, agricolæ & alii, qui *in*

(4) Lib. 4 de Bello Gothico p. 624.

eam insulam commercii gratiâ, ſeculo etiam ſexto currente navigabant.

Adhæc non infrequens hodierni Belgii vetuſtis incolis ultramarinum iter fuiſſe, indicat ſatis Lex Salica tit. 24. num. 2., dum facilè ſervos fugitivos trans mare aſylum quærere & à ſuis Dominis inveniri illic potuiſſe, pro comperto habet. Eccur autem Belgas, non ſervos jam dico, ſed homines liberos, tam ſæpè mare tranſiiſſe, exiſtimabimus, niſi ſpe lucri & Commerciorum utilitate illectos, quandoquidem tunc vel belli inferendi, vel prædandi cauſâ eò profectos eſſe, nullâ aſſeri ratione poteſt. Hinc & Belgæ illi, qui necdum ad chriſtianam fidem converſi fuerint, ſingulari ſemper cultu Mercurium, ùt Commerciorum patronum, proſequi pergebant, quò hunc ſibi in ſua negotiatione propitium haberent.

Poſtremò noſtratis Belgii incolas non modò cum exteris, ſed & cum vicinis ſuis negotiatos eſſe, merceſque ſeu mercibus ſeu argento ſub Francis commutare perrexiſſe, meridianâ luce clariùs probant erecta in Belgio pro *Navibus ac quolibet commercio telonia*, quorum mentio in diplomatis ſeculo etiam ſeptimo antiquioribus plus ſemel occurrit (*a*). Plura de Commercio ſcribere, præſtitutæ temporis anguſtiæ & rerum jam nunc tractandarum ubertas vetant. Quare manum de hâc tabulâ in aliam transfero.

(*a*) Unum pro omnibus exemplo ſit Chilperici Francorum Regis Diploma anno 575 editum, quo concedit „ Apoſtolico Viro Domno Chraſmaro Noviomagenſis vel Tornacenſis urbis Epiſcopo *Telonium de navibus* „ ſuper fluvio SCALT, qui pertinet ad fiſcum Tornacum vel quolibet *Commercio*, ſeu & de cariagio vel de ſagenis, nec non de ponte ſuper fluvio SCALT, vel de *omnibus venalibus* ubicumque vendantur, &c." Vide Miræum Dipl. Belg. in fol. Tom. 1. pag. 6. Ejuſdem Donationis meminêre Meyerus Tom. 4. Flandric. rerum in fine, & Couſin lib. *Hiſtoire de Tournay* cap. 66., ſed referunt eam ad annum 578.

Digitized by Google

PARS QUINTA

DE STATU LITTERARUM

SEU

Litteraturæ, Scientiarum Artiumque liberalium ſtatu apud Belgicæ Populos ante ſeculum æræ Chriſtianæ ſeptimum.

CUm ea ſit Litterarum cum Scientiis artibuſque liberalibus connexio, ut à ſe invicem non magis, quàm flumen à fonte, aut viridis arboris truncus à radicibus, ſejungi queant, ſine piaculo fieri poſſe cenſui, ut de Belgarum litteris, ſeu litteratura, ſcientiis artibuſque liberalibus conjunctim agam, ceterarum artium, quæ *liberalium* ſeu *nobiliorum* nomine non veniunt, ſejunctim poſtea expoſiturus ſtatum. Atque hanc quidem Illuſtris Societatis Litterariæ quæſita ſua exponentis mentem fuiſſe, idcircò magis mihi perſuaſum habeo, quòd hocce pacto & plenior & apertior inſtitui poſſit inveſtigandæ veritatis expoſitio. A Belgarum litteris ſeu litteratura exordium duco.

Fuerunt non ſuperiore tantûm, ſed & hoc ſeculo ſcriptores, iique etiam Belgæ, qui nullo diſcrimine Majores noſtros ante Romanorum adventum Litterarum planè rudes fecerunt, uno nixi teſtimonio, quod apud Tacitum (1) exſtat, hiſce conceptum verbis: *Litterarum ſecreta* (Germani) *viri pariter ac feminæ ignorant.* Rectène, an ſecùs, ita iſti cenſuerint, ex ipſius Taciti ſenſu definitum eo. Is, meo quidem judicio, indagari certiùs nequit, quàm ex ipſo ſcriptoris ſcopo. Hic autem alius non eſt, quàm ut ſevera apud Germanos eſſe matrimonia, mulieresque ſeptâ pudicitiâ agere, evincat. Quapropter nullis ſpectaculorum illecebris, nullis conviviorum irritationibus corrumpi Germanorum mulieres, litterarum verò ſecreta viros pariter ac feminas ignorare, mox Tacitus ſubdit, hoc pacto caſta ſervari matrimonia, pudicitiam ſepiri poſſe, jure merito contendens.

(1) *Tacitus lib. de Germ. cap.* 18. „ Quamquam ſevera illic matrimonia, nec ullam morum partem magis laudaveris. ”
Ibid. cap. 19. „ Ergo ſeptâ pudicitiâ agunt, nullis ſpectaculorum illecebris, nullis conviviorum irritationibus corruptæ. Litterarum ſecreta viri pariter ac feminæ ignorant. Pauciſſima in tam numeroſa gente adulteria... Sic unum accipiunt maritũ, quo modo unum corpus unamque vitam; ne ulla cogitatio ultrà, ne longior cupiditas, ne tamquam maritum, ſed tamquam matrimoniũ ament ... pluſque ibi boni mores valent, quam alibi bonæ leges. ”

Digitized by Google

Quid hoc eſt aliud dicere, quàm Germanorum mulieres viroſque non magis epiſtolis amatoriis ſecretiſque, quàm damnoſis pudicitiæ ſpectaculis, aut luxurioſis conviviis, corrumpi ſolêre, ac plus apud eos valêre bonos mores, quàm apud gentes bonas leges? Ecquis hinc omnimodam illam apud Belgas Germanoſque litterarum ignorantiam extundet? nonne ex adverſo ineptiſſimè locutus fuiſſet Tacitus, ſi inter ſeptæ pudicitiæ cauſas, iſtam hanc tam diſertè recenſuiſſet, quòd ſcilicet Germani, viri æquè ac mulieres, idiomatis nativi characteres legere ſcribereque neſciviſſent? ſint procul à ſcriptore clariſſimo ejuſcemodi ineptiæ.

Contrà verò ſi per *Litterarum Secreta*, Germanis ignorata, ea intelligamus, quæ ad auctoris ſcopum faciunt, puta ſcriptas recenti lacte amatorias litteras, quæ tactæ carbonis pulvere legi poterant, incluſas pomo blandas ſchedulas, aliaſque ejuſmodi artes, Romanis, teſte Ovidio, notiſſimas, quæ verè *Litterarum Secreta* dici poſſunt ac debent, plena ſic erit dilucidaque Taciti ſententia: (*a*) at ſimul tantùm aberit, ut Germanos, hoſque inter, Friſios affineſque populos litterarum planè rudes exſtitiſſe, hinc conſtet; ut contrà vel ex ipſis illis, aliiſque Taciti verbis, Germanos quidem litterarum gnaros, at iis in pudicitiæ perniciem abuti non ſoluiſſe, omninò per-

(1) Ovidius lib. 3. de arte amandi ỷ. 607. Id. lib. 1. de arte ỷ. 457.

(2) Tacit. annal. lib. 2 cap. 63, & 88.

F

(*a*) Ex quo primùm Taciti opera legi, eodem illo ſenſu ejus verba exponenda eſſe, ſemper exiſtimavi, meque in hac ſententia dein omnino firmarunt varii & eruditione & judicio præſtantes viri, quos inter Crevier *Hiſtoire des Empereurs Romains*, tom. 1. l. 2. §. 1. & Gabriel Brotier in notis ad Tacitum; præ primis tamen juſtus Chriſtophorus Dithmarus in annotationibus ad Wernheri Teſchenmacheri annales Cliviæ, Juliæ, &c. Hic pag. 47. ita fatur: „ De Litterarum characteribus hunc locum cum auto„ re noſtro plurimi accipiunt, atque inde Germanos noſtros plane ἀγραμμάτυς „ fuiſſe contendunt, ſed contra mentem Taciti, niſi quadrata rotundis eum „ miſcuiſſe velis. Agit enim in iis, quæ verba noſtra præcedunt & ſequun„ tur, de ſeveris Germanorum moribus, quibus feminarum apud eos pu„ dicitia ſepta atque cuſtodita fuerit. His autem citata verba, quo vulgò „ accipiuntur ſenſu, præter rem immiſceri Lipſio in notis ad illum locum „ ſuboluit, atque propterea Berneggerus æque ac J. F. Gronovius de lite„ ris amatoriis, quarum hic nonnulla exempla è latinis & græcis ſcripto„ ribus adfert, ibi agi cenſuerunt. Convenientiſſimum autem mihi vide„ tur, loqui Tacitum de occultis notis, quibus amantes vel nutu, vel cer„ to digitorum vino madidorum in menſa ductu, laſcivos amores ſibi in„ vicem declarabant, quales artes Ovidius *Amorum* lib. 1 Eleg. IV. 17. de„ ſcribit . . . & *Heroidum* Epiſt. XVI. Ubi Helena Paridi . . reſpondet, „ atque ſuum amorem declarat. „

Digitized by Google

ſuaſum habeas. Tametſi igitur Friſii affineſque populi origine ſituque Germani, Batavi verò, Menapii, Aduatici, Treviri, Nervii, Eburones, eorumque ſocii ex Germanis oriundi fuerint, non propterea tamen ante Romanorum adventum litterarum rudes ſemper fuiſſe, exiſtimandi ſunt.

Fateor quidem, definiri tempus non poſſe, quo noſtratis Belgii Belgicæque veteres incolæ litteras primùm diſcere cæperint; at certè Belgæ jam tum eas norânt, cùm illos Cæſar armis aggrederetur. Niſi enim etiam latini ſermonis, & Julio-Cæſariani quidem, id eſt, terſiſſimi, ſatis periti fuiſſent, quid neceſſe erat, ut Cæſar (1) ſuam ad Ciceronem epiſtolam græco ſermone græciſque elementis conſcriberet, ut ne hoc modo conſiliorum notitia ad Belgas unà cum epiſtola ſua facilè perveniret? nimirùm compertum jam Cæſari erat, haud ita rudes eſſe Belgas, quin latinas etiam epiſtolas legere intelligereque poſſent, non ita tamen græcè verſatos eſſe, ut conſcriptam græcè epiſtolam intelligerent, ſi fortè hæc in eorum incidiſſet manus.

Nec minorem Gallis Belgiſque litterarum peritiam alio etiam loco Cæſar (2) tribuit, nimirum, cùm inter cauſas, cur Druides res ſibi ſacras litteris non commendarent, binas haſce producit, alteram, quòd ita præcavêre vellent, ne in vulgus diſciplina ſua efferretur, alteram, ne alumni, qui litteras nôrant, hiſce magìs, quàm memoriæ, fiderent. Si autem re ipſâ, uti quidem ſcripsêre recentiores, Belgarum primates ipſumque vulgus litterarum expertes fuiſſent, nihil Druidibus opus erat præcauto, neque timendum erat, ne, qui litteras ignorabant, litteris potiùs, quàm memoriæ confiderent. Denique idem ille, quem ſuprà exhibui, Eburonum nummus, (*a*) litterarum, non chartis tantùm, ſed & metallo committendarum artem apud Belgas, origine etiam Germanos, ſub Celtica periodo viguiſſe, manifeſtum facit; cùm artem hanc Eburones abs Romanis tunc primùm didiciſſe, non majorem veri ſpeciem habeat, quàm repertas in caſtris Helvetiorum tabulas, (3) græcis conſcriptas litteris, Romani cujuſdam ludimagiſtri ſubſidio operâve fuiſſe

(1) *Cæſ. l.* 5. *B. G. c.* 48. „ Cuidam ex Equitibus Gallis magnis præmiis perſuadet, uti ad Ciceronem epiſtolam deferat. Hanc græcis conſcriptam literis mittit, ne intercepta epiſtola, noſtra ab hoſtibus conſilia cognoſcantur. „

(2) *Id. l.* 6. *c.* 14. „ Et ſua ſponte multi in (Druidum) diſciplinam conveniunt, & à propinquis parentibuſque mittuntur. Magnum ibi numerum verſuum ediſcere dicuntur. Itaque nonnulli annos vicenos in diſciplina permanent; neque fas eſſe exiſtimant ea literis mandare .... id mihi duabus de cauſis inſtituiſſe videntur, quod neque in vulgus diſciplinam efferri velint, neque eos, qui diſcunt, literis confiſos, minus memoriæ ſtudere. "

(3) Cæſ. lib. 1. de B. G. cap. 29.

(*a*) Falluntur hìc viri quidam, ceteroqui eruditi, dum hunc Eburonum nummum ſub Romanis percuſſum ſcribunt, cùm ipſe Cæſar lib. 6. cap. 34. ſe *Eburonum* ſtirpem ac nomen tollere voluiſſe teſtetur, & ſub Romanis *Eburonum* nomen re ipſa locum fecerit *Tungrorum* appellationi.

Digitized by Google

elaboratas (*a*). Mitto Diodorum Siculum, qui priſcos Gallos Belgasque in funeribus mortuorum epiſtolas propinquis inſcriptas in rogum conjeciſſe ſcribit (1), ut hæ à defunctis legerentur.

Si præter litterarum ſeu characterum notitiam, altiores etiam ſcientias arteſque liberales ſub Celtica periodo minimè neglectas in Belgio fuiſſe, aſſeruero, fortaſſis plùs æquo Belgas extuliſſe, prima fronte nonnullis videbor. At quiſquis Cæſarem alioſque veteres non præoccupata mente legerit, is, arbitror, me ultra id, quod veritas patitur, nihil de Belgis adſtruxiſſe, fatebitur.

Ex omni Gallia, ac proin & ex Belgica, juvenes multi, teſte Cæſare (2), imò & *nobiliſſimi* quidem, ut Pomponius Mela (3) tradit, in Druidum diſciplinam aut ſua ſponte conveniebant, aut à propinquis parentibuſque ad Druidum Lyceum mittebantur, ac vicenos ſubindè annos in eorum diſciplina permanebant, quò ſcientias arteſque, ab hiſce tradi ſolitas, penitiùs edocti, ſuæ ſinguli patriæ prodeſſe magìs, ac veluti certatim, poſſent. Quo pacto non potuit non ſcientiarum artiumque omnium, quas Druides tradebant, plùs minùſve abſoluta notitia per omnes Galliarum regiones diffundi ac propagari. Haud secùs ergo Belgæ, ac Gallorum reliqui, Aſtro-

F 2

(1) *Lib.* 5 *pag.* 306. „ In funeratione mortuorum, Epiſtolas propinquis inſcriptas in rogum conjiciunt, quæ à defunctis legantur. „

(2) *Lib* 6 *cap.* 14. „ Et ſua ſponte multi in diſciplinam (Druidum) conveniunt, & à parentibus propinquiſque mittuntur . . . . . . In primis hoc volunt perſuadere (Druides) non interire animas, ſed ab aliis poſt mortem tranſire ad alios. . . . Multa præterea de ſideribus atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de Deorum immortalium vi ac poteſtate diſputant & juventuti tranſdunt. „

(3) *Lib.* 3 *cap.* 2. „ Habent tamen & facundiam ſuam Magiſtroſque ſapientiæ Druidas. Hi terræ mundique magnitudinem & formam, motus „ cœli ac ſyderum & quid Dii velint, ſcire profitentur: docent multa nobiliſſimos gentis clàm & diu vicenis annis in ſpecu, aut in abditis ſaltibus, „ unum ex iis, quæ præcipiunt, in vulgus effluit. Videlicet, ut forent ad „ bella meliores, æternas eſſe animas, vitamque alteram ad manes.

(*a*) Huc faciunt Auctorum Hiſtoriæ litterariæ Galliarum tom. 1. pag. 4. diſertiſſima verba, quæ ſic habent: „ Quand nous parlons de la Barbarie „ des Gaulois, il ne faut pas s'imaginer, qu'ils fuſſent des Barbares ou errants & vagabonds, comme l'étoient les anciens Scythes, ou auſſi groſſiers, que le ſont à préſent les ſauvages de l'Amerique. Si haut que puiſſent remonter les autorités qui leur rendent témoignage, elles ne nous „ les repréſentent que comme des peuples civilisés en quelque ſorte, vivant en ſociété, ſe conduiſant par les loix du bon eſprit, occupés de „ l'agriculture, des arts, du trafic, aïant même l'uſage des lettres, & de „ grandes diſpoſitions pour les plus hautes ſciences. C'eſt là l'idée que nous „ en ont laiſſée les Grecs & les Romains, & Céſar en particulier, qui „ connoiſſoit mieux nôtre nation, que tous les autres Hiſtoriens. Que ſi „ quelquefois ils la qualifient du nom de *Barbare*, ce n'eſt qu'une maniere „ de s'exprimer, ordinaire à ces Auteurs, pour deſigner les nations qui „ leur étoient étrangeres. „

Digitized by Google

nomiæ, Geographiæ, Geometriæ, Physicæ, Metaphysicæ Mythologiæque utcúmque saltem periti fuerunt, ut qui de sideribus atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de animæ immortalitate (*a*), de Deorum immortalium vi ac potestate, multa sibi abs Druidibus transdita tenerent; quod & præter Cæsarem Pomponius Mela, loco suprà citato, memoriæ prodiit.

Adhæc, testante Cæsare (1), Galli omnes, atque adeò & Belgæ, Deûm maximè Mercurium coluerunt ejusque simulacra, quòd hunc omnium inventorem artium ferebant, habuêre plurima. Apollinem morbos depellere, Minervam operum atque artificiorum initia transdere, Martem bella regere, credebant, proptereàque & cultum Diis illis deferebant. Eccur, obsecro, nisi quòd scientiarum artiumque, quæ ad humanæ vitæ commoda ususque conducunt, sufficientem nacti essent notitiam, eamque Diis illis secundùm Druides acceptam haberent.

Si quis porrò consideret, nonnumquam inter eos ortas fuisse de hæreditate, de finibus, aliisque ejusmodi rebus privatas æquè ac publicas controversias (2), quas Druides ad suum delatas tribunal ex æquitate juris naturæ, gentiumve regulis (3), ex specialibus quoque nationis legibus definiebant, profectò Belgas, currente Celtica periodo, nec Nomades, nec vagos, nec feris, quàm hominibus, magìs similes, nec litterarum, nec bonarum artium, nec scientiarum omnium expertes fuisse, fateri cogetur.

Longior essem, si singulas nominatim referrem. Monuisse paucis sufficiat, præter jam ante memoratas scientias, Jurisprudentiam quoque, artem Medicam, Musicam, Statuariam (*b*) Scalpturam, aliasque ejusmodi liberales artes non cognitas tan-

(1) *Lib. 6. cap.* 17. „ Deûm maximè Mercurium colunt. Hujus sunt plurima simulacra: hunc omnium inventorem artium ferunt, hunc viarum atque itinerum ducem, hunc ad quæstus pecuniæ mercaturasque habere vim maximam arbitrantur. Post hunc, Apollinem, & Martem & Jovem & Minervam. De his eamdem ferè, quam reliquæ gentes, habent opinionem: Apollinem morbos depellere, Minervam operum atq. artificiorum initia transdere, Jovem imperium cœlestium tenere, Martem bella regere. „

(2) *Ibid. cap.* 13. „ Ferè de omnibus controversiis, publicis privatisque constituunt (Druides) & si quod est admissum facinus, si cædes facta, si de hæreditate, de finibus controversia est, iidem decernunt, præmia pœnasque constituunt. „

(3) Vide Hontheim. in Prodr. Hist. Trev. pag. 27.

(*a*) „ Les Gaulois tenoient l'immortalité de l'ame. Ce sentiment seul, „ qui les distinguoit des autres gentils, peut suffire, pour prouver non seu„ lement l'ancienneté de leur Theologie, mais encore celle des autres scien„ ces, qu'ils ont cultivées . . . . Pourquoi n'auront-ils pas conservé égale„ ment les notions des autres sciences, de l'Astronomie, de la Geometrie, „ de la Geographie, de la Physique? . . . . Et n'étoit-il pas plus facile de „ les conserver ces sciences, qui sont du ressort des sens, comme de la „ raison, que la doctrine de l'immortalité de l'ame, qui n'est qu'une scien„ ce speculative. „ *Histoire Litter. de la France* tom. 1. part. 1. pag. 9.

(*b*) Lucanus lib. 3. ℣. 411. Asserens, Deorum simulacra *arte caruisse*, vel intelligendus est de nonnullis dumtaxat simulacris, vel de aliis, quàm Belgarum simulacris; aut, si Cæsari contradicere voluerit, deserendus est.

Digitized by Google

tùm, ſed & qualicumque modo (licet minùs perfectè, quàm ſub Romanis) excultas atque aliquo in numero fuiſſe habitas.

Ut Ammiani Marcellini (1) verbis rem hanc concludam, *per hæc loca, hominibus paulatim excultis, viguêre ſtudia laudabilium doctrinarum inchoata per Bardos & Eubages & Druidas.* Bardos autem etiam ſub Celtica periodo frequentiores fuiſſe apud Belgas, quàm apud ceteros Gallos, non immeritò cenſuit clariſſimus Huetius (*a*), ut proin *laudabilium doctrinarum ſtudiis* Belgæ reliquis Gallis minimè inferiores fuiſſe, exiſtimandi ſint.

Cùm verò Belgæ, haud ſecùs ac reliqui Galli, & mirificè ſolertes, atque ad omnia imitanda & efficienda (2), quæ ab quoque tradebantur, aptiſſimi eſſent, ac præntereà dociles adeò aures oculoſque (*b*) commodarent, ut, ſi quis utiliora traderet oſtenderetve (3), facilè ſibi, ut hæc amplecterentur, perſuaderi ſinerent; haud mirum videri debet, ſi, quemadmodum à Maſſilienſibus vicini primùm, mox remoti Galliarum populi *& uſum vitæ cultioris, & agrorum cultus, & urbes mœnibus cingere didicerunt* (4); ita & Belgæ etiam à Romanis, rerum Dominis, ſcientiis boniſque artibus ingenia magìs magìſque excolere didicerint, eorumque exemplo ad litterarios ludos juventutem miſerint, ſcientiis omnibus, quibus Romani tum præcellebant, pleniſſimè itidem imbuendam.

(1) L. 15 c. 9.

(2) *Cæſ. lib.* 7. *cap.* 22. „ Gallorum . . . ut eſt ſummæ genus ſolertiæ, atque ad omnia imitanda atque efficienda, quæ ab quoque traduntur, aptiſſimum. „

(3) *Strabo l.* 4. *pag.* 196. „ Iidem (Galli) facilè perſuaderi ſibi ſinunt, ut utiliora amplectantur: itaque Diſciplinæ etiam & litteris ſe dederunt. „

(4) *Juſtinus lib.* 43 *hiſt. c.* 4. „ Ab his (Maſſilienſibus) Galli & uſum vitæ cultioris, depoſita & manſuefacta barbaria, & agrorum cultus, & urbes mœnibus cingere didicerunt. Tunc & legibus, non armis vivere, tunc & vitem putare, tunc olivam ſerere conſueverunt; adeóque magnus & hominibus & regibus impoſitus eſt nitor, ut non Græcia in Galliam emigraſſe, ſed Gallia in Græciam tranſlata videretur. „

(*a*) „ On ne doit pas douter, que le nombre des Bardes ne fût fort „ conſidérable chez les anciens Gaulois; puiſque leur principal emploi con„ ſiſtoit à chanter les grands exploits des Héros de leur Nation, & que „ cette Nation étoit une des plus belliqueuſes de l'univers. C'eſt ſur ce fon„ dement que M. Huet prétend, que les Belges avoient plus de Bardes „ qu'aucun autre Peuple des Gaules, parce qu'étant les plus vaillans de „ tous les Celtes, ils avoient plus à chanter que les autres. „ *Hiſt. Litter. de la France* Tom. 1. Part. 1. pag. 28.

(*b*) Ne quis fortè, qui Martialem legit, *Dociles aures oculoſque* Batavis tribuere metuat, deterritus hoc illius Epigrammate ad Rufum Lib. 6. epigr. 82:

„ Quidam me modò, Rufe, diligenter
„ Inſpectum, velut emptor, aut laniſta,
„ Cùm vultu digitoque ſubnotâſſet,
„ Tune es, tune, ait, ille Martialis,
„ Cujus nequitias jocoſque novit,
„ AUREM QUI MODO NON HABET BATAVAM?
„ Subriſi modicè: &c.

Hic paucis obſervatum velim, omninò certum indubitatumque non eſſe, an, quæ jam recenſita eſt, genuina ſit Epigrammatis illius lectio: prima enim omnium editio, ad fidem manuſcriptorum codicum exacta, utraque Aldina & pleræque antiquæ non aurem *Batavàm*, ſed *Severam* memorant,

Sanè jam tum sub C. Cæsare Caligula Batavis erectos fuisse ludos litterarios, ex Suetonio (1) discimus, è quorum nempe uno obsides quosdam clàm abductos præmissosque, dein, veluti profugos ac reprehensos, in catenis Imperator reduxit.

Undè & admodùm verosimilia redduntur, quæ Cornelius Aurelius in sua Batavia (2) asseruit, nimirùm, antiquiores Romanos in nullo sibi utiliùs consultum iri existimâsse, quàm si Batavorum pueros, utpote acri ingenio & linguâ, ad omnia idiomata habili, præditos, bonas artes omnemque civilitatem edocerent; ut utriusque linguæ suffragio faciliùs ad subjugandas ignotæ sibi linguæ nationes perrumperent, & Batavos, eorumdem juvenum parentes, ea specie in officio arctiùs retinerent, quorum filiis tantam impendere curam videbantur.

Neque ceteri Belgæ, utpote pro quibus eædem rationes militant, Batavis ea in re inferiores exstiterunt: nam, uti Cato (3) perhibet, *pleraque Gallia*, è quâ Belgica universa excludi nequit, duas res industriosissimè consequebatur, *rem militarem & ARGUTÈ LOQUI.* Et meritò quidem Galli Belgæque eloquen-

eodem nempe sensu, quo hæc eadem vox lib. 1. Epigr. 35., lib. 8. Epigram. 3. ỳ. 17., & lib. XI. Epigr. 2. à Martiale adhibita est. Admissa tamen lectione jam recitata, quam Petrus Scriverius in suis melioris notæ codicibus exstare asserit, juverit cum eodem viro clarissimo Auctoris mentem adnotâsse. Gratulatur sibi Poëta, *legi se Romæ ab omnibus, præterquàm à Batavis, qui in armis & duriore vita educati, Flaviis tum militabant, & corporis Augusti custodes atque satellites non admodùm curabant Martialis Carmina*, seu, ut ipsis utar Poëtæ verbis, spurcas ejus *Nequitias* fœdosque *jocos.* Atque hinc eruditi in primis viri *Aurem Batavam* interpretantur *Severam*, *Castam*, *Censoriam*; ac priscos Batavos, ceu rigidos disciplinæ & pudoris custodes, nec avitæ, de qua Tacitus lib. de Germ. cap. 18., Germanorum virtutis degeneres, bene meritis Laudibus extollunt. Quo sensu si Poëtæ, nimiùm certè lascivi, verba exponantur, uti certè exponere omnino fas est, tantum aberit, ut Batavis probro vertantur, aut eos inscitiæ ac rusticitatis arguant, ut potiùs severioribus eorum studiis perquàm honorifica sint. Atque utinam hocce politioris litteraturæ seculo complures reperirentur ejuscemodi aures Batavæ, quæ pestiferas Martialis similiumve scriptorum nequitias aut non admitterent, aut certè his non caperentur. Plura vide apud Scriverium in hunc locum, & apud Erasmum in proverbium AURIS BATAVA.

(1) *Suetonius in Calig. c.* 45. „ Obsides quosdam abductos è literario ludo, „ clàmque præmissos, deserto repentè convivio, cum equitatu insecutus (Caligula) veluti profugos ac reprehensos in catenis reduxit. „

(2) Pag. 46. editionis Plantin. ann. 1586.

(3) Apud Charisium institut. Gram. lib. 2.

Digitized by Google

tiæ, honeſtiſque omnibus diſciplinis egregiam navabant operam, cùm ad capeſcendos magiſtratus expeditiſſimum eſſe iter, (1) quod litteris promovebatur, nec quidquam citiùs, curulis ſellæ inſignia ceteraſque reipublicæ dignitates parere, quàm morum gravitatem & diſciplinarum peritiam quotidiano diſcerent exemplo. Solebat enim Roma frequenter faſces legere de mænibus Gallicanis, (2) indigenaſque ad ſuæ patriæ Magiſtratus evehere, ſi quos bonis artibus ſcientiiſque imbutos noviſſet, artes ſcilicet honore nutrire ac fovere ſatagens.

Hinc nobiliſſimam Galliarum, ac proin & Belgicæ ſobolem (3) *liberalibus ſtudiis operatam*, hinc Gallos moribus, artibus etiam poliorceticis, (4) Romanis vix non pares, eiſque junctos affinitatibus cernimus; hinc *florentiſſima* etiam S. Hieronymi (5) ætate *Galliarum ſtudia* conſpicimus; hinc Gallias tunc quoque non viris tantùm fortibus, ſed etiam *eloquentiſſimis abundaſſe*, (6) vidimus. Hinc toties doctos Galliarum cives, facundos, cauſidicos, Rhetores, Philoſophiæ Præceptores, Medicos, omniſque generis artium peritos viros ab antiquis laudari audimus; (7) ut ſub Romana periodo Græcia in Galliam immigrâſſe, doctaque Roma in Belgicam, ac nominatim ad Treviros tranſlata fuiſſe, videatur.

Atque hæc eruditis notiora exiſtimo, quàm ut ſigillatim probari pluribus debeant. Facere tamen non poſſum, quin viri unius, in hodiernâ Flandriâ vel Brabantiâ ſeculo tertio nati, minimèque rudis, mentionem ingeram. Eſt is Carauſius, teſte Sexto Aurelio Victore, (8) *Menapiæ civis*, qui, cùm egregiam ſibi famam variis in bellis peperiſſet, anno Chr. 287. Belgicæ atque Aremoricæ Præfectus ab Imperatoribus fuit. Cùm itaque eo tempore nemo ad tam vaſtæ, qualis Belgica & Aremorica erat, Provinciæ regimen aſſumeretur, niſi qui liberalibus ſtudiis egregiè excultus, altioribus ſcientiis imbutus & eloquentiâ ac diſciplinarum peritiâ clarus eſſet, oportet profectò, ut & Carauſius ſtudiis hiſce, iiſque omnibus ſcientiis, quas vaſtiſſimæ Provinciæ regimen exigit, non parùm excelluerit. Unde ſuſpicari fas eſt, vel in hodiernæ Flandriæ Brabantiæque tractu jam tum erectas inquilinis fuiſſe Academias (*a*), vel, ſi quis id in dubium vocet, fateatur neceſſe

(*a*) Academias antiquitùs erectas etiam extra oppida fuiſſe, indicat ſa-

(1) Symmachus lib. 1. epiſt. 15.

(2) Caſſidorus lib. 2. epiſt. 3.

(3) *Tacitus lib.* 3. *Annal. cap.* 43. Auguſtodunum.. Sacrovir occupaverat & nobiliſſimam Galliarum ſobolem liberalibus ſtudiis ibi occupatam, ut eo pignore parentes propinquoſque eorum adjungeret: ſimul arma occulte fabricata juventuti diſpertit.

(4) *Id. lib.* 11. *Annal. cap.* 24. „ Jam moribus, artibus, affinitatibus noſtris mixti (Galli) aurum & opes ſuas inferant potius quam ſeparati habeant"

(5) S. Hieron. epiſt. 95. ad Ruſticum.

(6) S. Hieron. lib. ad Vigilantium, Claudianus & Juvenalis.

(7) Juſtin. lib. 43. cap. 3.

(8) S. Aurelio vict. cap. 39. pag. mihi 749.

Digitized by Google

eſt, ſaltem tunc temporis non inuſitatum in hiſce tractibus fuiſſe, ut juvenes ad vicina mitterentur Lycea, omnium artium ſcientiarumque diſciplinis excolendi.

Singula modò periodi Romanæ ſecula curſim perſtringamus. à Julii Cæſaris temporibus ad uſque chriſtianæ æræ ſeculi primi exitum gradatim crevit apud Belgas diſcendæ politioris litteraturæ, ſcientiarum, bonarumque artium ardor, uti ex laudatis ſuprà Taciti verbis non obſurè intelligitur. (1) Imò ipſe Juvenalis in Galliis magis, quàm Romæ eloquentiæ ſtudium ſuo tempore floruiſſe, indicavit, dum ita locutus eſt:

(1) Juvenalis Satyr. 7. ỷ. 147.

. . . . „ accipiat te
„ Gallia vel potiùs nutricula cauſidicorum
„ Africa, ſi placuit mercedem ponere linguæ (*a*)

Seculo chriſtianæ æræ ſecundo (2) erectis in Galliis athenæis acceſſiſſe videtur Trevirenſis Schola; neque ullo ex capite conſtat, imminuta aut debilitata apud Belgas fuiſſe litterarum artiumque ac ſcientiarum ſtudia.

(2) Hiſt. Lit. de la France Tom. 1. part. 1. pag. 244.

Currente ſeculo Chriſti tertio haud parùm deferbuit cujuſcumque eruditionis ſtudium, ſive id Imperatori Caracallæ, eruditis viris admodùm infenſo, ſive barbarorum incurſionibus tyrannorumve frequentiæ adſcribendum ſit, aut potiùs utriſque. At verò non diù hoc malum tenuit. Poſtquam enim Treviris ſub ſeculi tertii finem Romani Imperatores ſedem fixerant, eò ſimul convolârunt ſcientiarum Magiſtri, atque inter eloquentiæ Profeſſores Claudii Mamertini, Eumeniique; mox undecùmque accurrerunt alumni, ſic ut reviviſcere viderentur ariſtides Athenienſium, Catones & Oratores antiquæ Romæ, dignique tantis Præceptoribus (3) diſcipuli. Nec dubium, quin

(3) Auſonius in Moſella ỷ. 381 & 388. Ib. ỷ. 384.

tis laudatus ſupra Suetonius, & Horatius lib. 2. epiſt. 2. ỷ. 44. & 45. ita canens:

„ Scilicet ut poſſem curvo dignoſcere rectum
„ Atque INTER SILVAS ACADEMI quærere verum;

Tum denique & Pomponius Mela, quo teſte lib. 3. cap. 2. Druidæ ſapientiæ Magiſtri nobiliſſimos gentis etiam *in abditis ſaltibus* docuerunt. His haud dubiè teſtimoniis nixi Auctores Hiſtoriæ Literariæ Franciæ Tom. 1. part. 1. pag. 40. ita fere loquuntur: Les Ecoles des Druides ne s'ouvroient que dans le fond des bois & des antres écartés. *Nemora alta remotis incolitis lucis*, dit d'eux le Poëte Lucain. Vide etiam Buleum Tom. 1. Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis, cap. 1., 2., & 18.

(*a*) Senſus dicti hujus eſt: ſi vis eloquentiâ tuâ & agendis cauſis quidpiam lucrari, pete Gallias vel Africam, ubi eloquentes cauſidici, etiamſi pauperes eſſent, in pretio haberi ſolent.

Digitized by Google

& Jurisconsulti, Medici, Geometræ, Architecti, Sculptores, omnium Artium Liberalium magistri in Belgica, atque apud Treviros nominatim floruerint, uti præclara, quæ apud Batavos aliosque Belgas exstant, antiquitatis monumenta, ac percussi apud Treviros nummi satis testantur.

Christiano seculo quarto in illis nostratis Belgii partibus, quibus evangelica lux affulserat, fundari abs viris apostolicis cæpta sunt sacra illa Lycea, ubi conversi ad Christianam fidem indigenæ divina ecclesiasticaque dogmata, imò & profanas litteras sanamque Philosophiam, quantùm hæ ad humanitatem fideique propagationem conferunt (*a*), vel ab ipsis Apostolicis viris, vel à designatis, uti posteà vocati sunt, *Presbyteris scholasticis* summâ diligentiâ edocebantur.

Ad Profanas quod attinet scientias bonasque artes, eæ florentissimæ in Galliis, & apud Treviros præsertim, erant, tum ob promissa litterarum Professoribus virisque omnibus eruditis, ac speciatim medicis, amplissima præmia, tum ob virorum doctrinâ illustrium (1) multitudinem, quos inter elucebant Panegyrista anonymus, Ursulus, Harmonius, Ausoniusque, tum denique ob omnigena ad litteraturam, bonas artes & disciplinas subsidia, quæ apud Treviros Belgicæ juventuti numquam non suppetebant. Uti autem minimè dubium est, quin hodierni ducatûs Luxemburgensis juvenes ad Trevirensem urbem, utpote Sacram politicamque metropolim suam, studiorum causâ eo seculo confluxerint, ita credibile etiam est, remotiores Belgas eò convenisse, præsertim cùm illos, qui Treviris in

(1) Hist. Litt. Franc. Tom. 1. Part. 2. pag. 1. &c.

(*a*) Exemplo nimirùm primorum Galliæ Apostolorum, de quibus sæpiùs laudati Scriptores Hist. Litt. Franciæ ex Gregorio Turonensi aliisque Tom. 1. Part. 1. pag. 306. in hunc modum rectissimè loquuntur : „ Ces „ grands Hommes après avoir baptisé leurs disciples, les instruisoient dans „ les choses de la Religion, & même dans les lettres, lorsque les peuples „ les ignoroient. Ainsi en détruisant l'idolâtrie & les superstitions Païen- „ nes, ils n'interdisoient point les lettres humaines & la Philosophie. Ils „ ne faisoient que les perfectionner, en y ajoutant la connoissance des „ sciences qui regardent le Christianisme. Il y eut donc alors dans les „ Gaules autant d'écoles Chrétiennes, qu'on y vit d'Eglises établies & for- „ mées. Et jusqu'à quel point ne s'y multiplierent-elles pas en peu de „ tems, malgré les efforts de Satan pour en empêcher les progrès? " De Scholis antiquis per quinque priora Ecclesiæ secula ac dein sub Clodoveo Rege vide Thomassinum de Veteri & Nova Ecclesiæ Disciplina Part. 2. lib. 1. cap. 92. & 93.

Digitized by Google

Schola Palatina ſtrenuè exerciti fuerant, ad publica patriæ munera ſupremaſque dignitates ab imperatoribus evehi viderent. An è Belgis noſtratibus multi Romam profecti ſint, Philoſophiæ placita juriſque principia ac regulas excepturi, non facilè definierim.

Quinto æræ Chriſtianæ ſeculo, etſi quidam viri eruditi Belgicam illuſtrârint, ùt puta (1) Gallus, S. Martini Turonenſis præſulis diſcipulus, Protadius, Minervius, Florentinus, Salvianus, Arbogaſtus; tamen, cùm jam tum *pauci* eſſent præpotentes homines, qui *ſtudia honorarent* (2), cùmque & Franci, rerum ſummam in Belgio noſtrate adepti, venationi & bello majorem, quàm doctis lucubrationibus eruditiſque tractatibus operam navarent, fieri haud aliter poterat, quin altioris litteraturæ cupido tepeſceret, Athenæa deſererentur, ſenſimque conciderent florentiſſima quondam litterarum ſtudia; ut jam Belgæ omnes, à Francis ſubacti, victoribus, politioris litteraturæ incurioſis, quàm ſuis olim majoribus, litterarum ſtudio deditis, magis magiſque indies redderentur ſimiles. Quin ob eaſdem rationes multùm quoque collapſæ ſint liberales artes, dubitandi locus non eſt; idque etiam evincunt percuſſi ſub primis (3) Francorum Regibus nummi exſtructaque Monumenta, in quibus rudiorem, quàm ſub Romanis, Minervam, plura quoque graphidis vitia, magnamque bonarum artium inclinationem nemo non perſpicere queat.

A ſexto æræ chriſtianæ ſeculo uſque ad ſeptimum, ac denique ad uſquè Caroli Magni feliciora tempora eò uſque paſſim ſuccrevit ſcientiarum artiumque liberalium neglectus, ut, ſi viros excipiamus eccleſiaſticos Monachoſque, qui Canonicas Clauſtraleſve Scholas frequentabant, iiſve præerant, pauciſſimi eſſent, qui eruditionis nobiliorumque artium titulo commendari utcùmque mererentur. Et horum quidem luculenti & omni exceptione majores mihi teſtes ſunt Gregorius Turonenſis, in ſua ad hiſtoriam Francorum Præfatione *ab urbibus Gallicanis liberalium culturam litterarum deceſſiſſe*, conquerens, & ipſe Imperator Carolus Magnus, in celebri ſuâ conſtitutione ita loquens (4): *obliteratam penè Majorum noſtrorum deſidiâ, reparare vigilante ſtudio litterarum ſatagimus officinam, &*

(1) Hiſt. Litt. Franc. Tom. 2. pag. 116, 134, 138, 517, 548.

(2) *Apol. Sidon. lib. 5. ep.* 10. „Pauci Studia nunc honorant."

(3) Vide inter alios Van Loon al oude Hollands Hiſtor. Tom. 1. pag. 244, 257, 260, &c.

(4) Apud Baluſium Tom. 1. Capitularium pag. 203.

Digitized by Google

ad pernoſcenda ſtudia liberalium artium noſtro etiam, quos poſſumus, invitamus exemplo. Audi & Engoliſmenſem Monachum, vitæ Caroli Magni Scriptorem (1): *Et Domnus Rex Carolus iterum* (quemadmodum paulò ante, at non ſatis ex voto fecerat) *à Roma artis grammaticæ & computatoriæ Magiſtros* (a) *ſecum adduxit in Franciam, & ubique ſtudium literarum expandere juſſit. Ante ipſum enim Domnum Regem Carolum in Gallia nullum* (nempe à Francorum regni fundatione) *ſtudium fuerat liberalium artium*, publicum ſcilicet & generale, uti Bulæus in Hiſtoria Univerſitatis Pariſienſis pag. 93. rectè obſervat. Nunc ad artes non liberales & Mechanicas tranſeo.

(1) *Tom.* 5. *Script. rer. Gallicar. pag.* 185.

PARS SEXTA

DE ARTIUM NON LIBERALIUM ET MECHANICARUM STATU

Apud Belgicæ populos ante ſeculum æræ Chriſtianæ ſeptimum.

CUm priſci Belgæ, uti ſuprà ex Cæſare didicimus, non modò ad imitanda & efficienda, quæ ab quoque tradebantur, aptiſſimi, ſed & ingenio quoque ſolertiſſimi eſſent; facilem invenire fidem debent, quæ de inventis aut exercitis per eos opificiis artibuſve mechanicis apud veteres memoriæ prodita exſtant.

Galli, à quorum numero excludendi non ſunt Belgæ, ſin minùs ſub Celtica periodo, ſub Romana certè, lanam coloribus, imò & purpurâ tingendi, eamque in tapetis non ſine

(a) *Grammaticæ Magiſtri* dicebantur, qui & linguarum Elementa & Poëſim quoque ac Rhetoricam docebant; *Computatoriæ artis Magiſtri*, qui Arithmeticam, Aſtronomiam, curſùmque Lunæ, Kalendarium, ſeu ſcientiam certificandi tempus ſecundùm curſum Solis & Lunæ progreſſum, diſcipulis publicè tradebant. Vide & Epiſt. 22 Alcuini Abbatis ad Davidem, ſeu Carolum, eodem Tomo 5. rer. Gallic. Script. pag. 617.

Digitized by Google

venustate adhibendi artem nôrant. Ex lana item coactas vestes faciebant; eam quoque ahenis polientium (1) extractam in tomenti usum (*a*) vertebant. Num hæc Gallorum inventa sint, dubitat ipse Plinius. Id certiùs, eos cribrorum genera (2) ex setis equorum invenisse, qualia, arbitror, hodieque ad varios vitæ usus, eosque quàm maximè necessarios, passim adhibentur. Salis quoque conficiendi modum apprimè Belgæ nôrant. Hinc celebres Salinatores civitatis Menapiorum, civitatis Morinorum in vetustis inscriptionibus apud Gruterum.

Navium construendarum aptandarumque artem Belgas calluisse, ultramarinæ in Britanniam aliasque longinquas terras expeditiones, & classes Sambricæ manifestè evincunt. Arundinis comam, seu paniculam, undè semen dependet, cùm lignosiore callo induruisset, eam Belgæ contundebant, naviumque interjiciebant commissuris, sic, ut textus ferruminaret, essetque glutino tenacior, rimis explendis fidelior pice (3). Vela navium, lineaque omnis generis indumenta texuisse Belgas, ipsosque etiam Transrhenanos, notiùs est, quàm ut Taciti, Plinii, aliorumque testimonio comprobari necesse sit. Nota in primis frequensque Belgis fuit Zythi, Cerevisiæve ex hordeo aut frumento (4) conficiendæ ars. Frumenti, in

(1) *Plinius lib.* 8. *c.* 48. „ Est & hirtæ pilo crasso in Tapetis antiquissima „ gratia . . . . aliter hæc Galli pingunt, aliter Parthorum gentes. Lanæ & „ per se coactæ vestem faciunt : & si addatur acetum, etiam ferro resistunt: „ imò verò etiam ignibus novissimo sui purgamento : quippe ahenis polien- „ tium extracta, in tomenti usum veniunt, Galliarum, ut arbitror, in- „ vento : certè Gallicis hodie nominibus discernitur : nec facilè dixerim, „ qua id ætate cœperit. „

(2) *Idem. l.* 18. *c.* 11. „ Cribrorum genera Galli è setis equorum invenêre. „

(3) *Idem lib.* 16. *cap.* 36. „ Ubi lignosiore callo induruit (arundinis co- „ ma) sicut in Belgis, contusa & interjecta navium commissuris ferruminat „ textus, glutino tenacior, rimisque explendis fidelior pice. „

(4) „ Galli, qui eas regiones incolunt, ubi ob frigoris excessum, cor- „ rupta aëris temperie, nec vinum nec oleum producitur, ex hordeo sibi „ potum conficiunt, qui Zythus appellatur. Favos etiam aquâ diluunt, „ dilutumque hoc potum illis præstat. „ Ita Diod. Sicul. Tom. 1. p. 304, latinè redditus. Et Tacitus lib. de Germ. cap. 23. „ Potui humor ex hor- „ deo aut frumento in quamdam similitudinem vini corruptus. „

(*a*) De Tomento & Coactis ex lana Vestibus vide quæ suprà adnotavi pag. 39.

Digitized by Google

potum resoluti, spumam ita, ut nunc fit, concretam, pro fermento uti sciebant (1). Saponem ex sebo & cinere conficiebant (2). Bitumen ex betulis concoquebant (3). Vaccinia purpuræ tingendæ causâ ad servitiorum vestes adhibebant (4). Arenas ita temperare nitro, ac coquere nôrant, ut vitrum purum, ac massa vitri candidi indè proveniret (5). Metalla quoque admodùm peritâ manu tractabant. Stannum album incoquebant æreis operibus, ita ut vix discerni posset ab argento. Dubium, an Belgarum, an ceterorum Gallorum id inventum sit. Argentum quoque simili modo concoquebant, eoque equorum ornamenta conficiebant. Hinc itum est ad esseda (*a*), vehicula & petorita (*b*), quæ diligentiùs sumptuosiùsque argento ac denique auro exornârunt (6), ut vix dubitare liceat, quin prisca Belgarum ceterorumque Gallorum aurificum (*c*) ope-

(1) *Plinius lib.* 18. *c.* 7. „ Galliæ & Hispaniæ frumento in potum resolu„ to, quibus diximus generibus, spumâ ita concretâ pro fermento utuntur. „

(2) *Id. lib.* 28. *cap.* 12. „ Prodest & Sapo: Galliarum hoc inventum „ rutilandis capillis, fit ex sebo & cinere. „

(3) *Id. lib.* 16 *cap.* 18. „ Gaudet frigidis sorbus & magis etiam Betula. „ Gallica hæc arbor . . . Bitumen ex ea Galliæ excoquunt. „

(4) *Id. Ibid.* „ Vaccinia Italiæ Mancupiis sata: Galliæ verò etiam „ purpuræ tingendæ causa ad servitiorum vestes. „

(5) *Id. lib.* 36. *cap.* 26. „ In Vulturno mari Italiæ arena alba nascens „ . . . quæ mollissima est pila molaque teritur. Dein miscetur tribus par„ tibus nitri pondere vel mensura, ac liquata in alias fornaces transfun„ ditur. Ibi fit massa, quæ vocatur Ammonitrum; atque hæc recoquitur „ & fit vitrum purum, ac massa vitri candidi. Jam verò per Gallias His„ paniasque simili modo arenæ temperantur. „

(6) *Id. lib.* 34. *cap.* 17. „ Stannum . . . album incoquitur æreis ope„ ribus, Galliarum invento, ita ut vix discerni possit ab argento, eaque in„ coctilia vocant . . . Dein & argentum incoquere simili modo cœpere equo„ rum maximè ornamentis, jumentorum jugis in Alesia oppido . . . Cœ„ pere deindè & esseda & vehicula & petorita exornare: similique modo „ ad aurea quoque, non modò argentea, staticula inanis luxuria perve„ nit. „

(*a*) (Esseda) Vehiculi genus velocissimi apud Belgas primò repertum, aut saltem iis olim perquàm familiare. Unde Belgica Esseda Virgilio dicta: 3. Georg. ỷ. 204.

Belgica vel molli meliùs feret Esseda collo.

(*b*) (Petorita) Alterum Gallici vehiculi genus, à numero quatuor rotarum sic dictum, & communiter absque tecto. Vide Petisci Lexicon Antiquitatum Verbo *Petorritum*.

(*c*) Argentariorum Trevirensium meminit Notitia Dignitatum per Gallias apud Bouquet Tom. 1 Script. rerum Gallicar. pag. 127.

Digitized by Google

ra hodiernis multùm cedere non debuerint, si tamen non fuerint æquè absoluta.

Sub Celtica periodo haud ita artem cudendi ferri noverant, ut indè Gladios flecti nescios fabricarent (1); at saltem ætate Plinii eò usque profecerant, ut serras confecerint adeò solidas induratasque, ut candidum lapidem eâdem serrâ, quâ lignum, secare possent (2). Hujus porrò lapidis segmenta, tegularum & imbricum vice, domorum tectis adhibebant, vel eo collocabant modo, quo hodieque componuntur sectiles lapides, quos *ardoësas* Gallo-Belgæ vocant.

Nisi temporum iniquitas vel immites imperitorum manus multas abolevissent inscriptiones, ab iis olim in Belgio positas, qui fabricis & opificiis præerant, fallor, nisi eadem, quæ nostris temporibus, ac fors plura etiam opificia sub Romanis exercita fuisse, ex iis ostendi posset. Artem Cretariam, Scutariam, Balistariam, Belgis notas fuisse, demonstrant partim inscriptiones antiquæ apud Illustriss. Hontheimium (3), partim Notitia Dignitatum per Gallias (4).

Fabros lignarios, ferrarios, ærarios, gladiarios, zonarios, coriarios, alutarios, textores, tinctores, sartores, & id genus alios apud priscos hodierni Belgii incolas exstitisse, rectissimè Cluverius (5) ex verbis Taciti ostendit. Ex quibus de ceteris opificiis artibusque mechanicis judicium ferre licet.

Profectò si Ausonius, uti & suprà indicavi, de augusta Trevirorum verè dixerit, eam imperii vires *alere*, *vestire* & *armare*, si Tornaci & Treviris etiam sub Valentiniano III. (ut laudata Notitia affirmat) exstiterit Gynæceum, seu fa-

(1) *Polyb. lib.* 2. *pag.* 120. „ Observarunt Tribuni è superioribus bellis „ . . . Gladios illorum (Gallorum omnium) ita fabricatos, ut primo tantùm ictu cœdant, à quo statim & in longitudine & in latitudine ad instar „ strigulum incurvantur, usque adeò, ut nisi tempus militi concedatur, „ quo, mucrone ad terram applicato, Gladium pede in rectum revocet, secundus illorum ictus sit prorsus inefficax. „

(2) *Plinius lib.* 36. *cap.* 22. „ In Belgica Provincia candidum lapidem „ serrâ, quâ lignum, faciliùsque etiam secant ad tegularum & imbricum „ vicem: vel si libeat, ad quæ vocant pavonacea tegendi genera: & hi „ quidem sectiles sunt. „

(3) In Prodrom. Hist. Trev. pag. 191.

(4) Apud Bouquet Tom. 1. Script. rer. Gallicar. pag. 126.

(5) Lib 1. Germ. Antiq. cap. 18. pag. mihi 164.

Digitized by Google

brica, armariumque rei vestiariæ, quæ ad Principis, aulicorum ejus, ac militum seu pace seu bello usum fabricari servarique debebat; oportet omnino, ut, quæ suprà de usitatis in Belgio opificiis artibusque mechanicis protuli, in dubium vocari nequeant.

Quod ad artes Mechanicas sub Francica periodo attinet, hæ multo minùs, quàm altiores scientiæ artesque liberales, detrimenti senserunt. Cujus quidem rei si causam quæras, geminam hanc fuisse respondeo, nempe tum quòd Mechanicæ artes à viris præpotentibus ipsoque vulgo æstimari non desierunt, contrà ac abstrusioribus factum est scientiis; tum etiam quòd Franci, haud secùs ac Romani, eas foverunt ac tutati sunt artes, quæ ad corporis necessitates ornatumve, ad quotidianos vitæ usus, ad bella quoque atque ad venationes, ac denique ad pecuniæ quæstum plurimùm conferre natæ erant. Sanè fabros ferrarios, aurifices, carpentarios, omnisque generis, opifices sub Francis exstitisse, lex Salica tit. 11. & 25, ac Gregorius Turonensis in sua Francorum Historia, aliique Scriptores aut expresse docent, aut utcùmque saltem insinuant; ut adeò Belgica, uti antea Romani Imperii, ita & Francici vires *aluisse*, *vestivisse* & *armâsse* non immeritò credi possit.

Enimverò cùm Franci, (*a*) teste Agathia lib. 1. pag. 13., *Politiâ ut plurimùm uterentur Romanâ*, *nihilo*que à Græcis aliisque excultis nationibus *differrent*, *nisi solummodò Barbarico*, seu Græcis inusitato, *vestitu linguæque proprietate*; quid dubitabimus, quin sub iis, ut qui Gallias non vastare, sed occupare, ejusque se opibus locupletare cupiebant, æquè, ac sub Romanis, eædem artes eademque opificia floruerint, pristinamque adeò nostri Belgii incolæ, diligentiam solertiamque sub Francis etiam conservârint.

(*a*) „ Franci . . . . politia ut plurimùm utuntur Romana & legibus „ iisdem . . . . valde mihi videntur civiles & urbani nihiloque à nobis „ differre nisi solummodo barbarico vestitu & linguæ proprietate. ”

Digitized by Google

FEcit rerum tractandarum ubertas dignitaſque, ut, cùm initio brevior eſſe Statuiſſem, in ipſo Diſſertationis meæ decurſu paulò fuſior eſſe coactus ſim; quod mihi, æquè atque aliis, quorum Reſponſa ad propoſitas jam antè Quæſtiones in paginas 60. aut etiam 70. excurrerunt, ab Illuſtri Societate Litteraria pro ſua humanitate condonatum iri, Confido.

ERRATA.

Pagina	15	*linea* 12		ut	*lege*	at
	16	33		aliuncula		alicula
	17	21	*in margine*	Diſtycho		Diptycho
	21	36		Treviorum		Trevirorum
	22	31		Præparaſceve		Proparaſceve
	23	4	*in margine*	imperatorem		imperatorum
	24	17	*in margine*	*ibid.*		Lib. 1.
	25	2		illuſtrum		illuſtrium
		45	*in margine*	etiam		eam
	28	34		penus		genus
	37	3	*in margine*	mortuos		mortuis
	38	18	*in margine*	Serretos		Serratos
	41	12		fuerint		fuerant
		37		fiſcum		fiſcum
	44	25		quidem		quidam
	49	25 & 33		Caraufius		Carauſius
	50	8		obſurè		obſcurè

Digitized by Google

THEODORICI PETRI CAELS
MEDICINÆ LICENTIATI

DE
BELGII PLANTIS
QUALITATE QUADAM
HOMINIBUS CÆTERISVE ANIMALIBUS
NOCIVA SEU VENENATA PRÆDITIS,
SYMPTOMATIBUS
AB EARUM USU PRODUCTIS,
NEC NON
ANTIDOTIS ADHIBENDIS
DISSERTATIO,
CUI CÆSAREA AC REGIA SCIENTIARUM ET LITTERARUM
ACADEMIA,
QUÆ FLORET BRUXELLIS,
PALMAM DETULIT
ANNO
M. D. C. C. L X X I I I.

Discite mortales, faciant quæ toxica mortem,
Non, quo ferre necem, sed quo sanare queatis.

BRUXELLIS,
Apud ANTONIUM D'OURS Bibliopolam.

M. D. C. C. L X X I V.

Digitized by Google

Digitized by Google

DISSERTATIO DE BELGII PLANTIS

Qualitate quadam Hominibus, cæteriſve Animalibus nociva ſeu venenata præditis; Symptomatibus ab earum uſu Productis, nec non Antidotis adhibendis.

INTRODUCTIO.

QUÆSTIO inter Autores nata eſt, an quidpiam in ſe & abſolutè venenum ſit; negarunt nonnulli; *Paracelſus* è diverſo omnia venena eſſe, nec ſine veneno quidpiam exiſtere, ac in ſolâ doſi ſalubritatis aut lethalitatis punctum verſari aſſerere non dubitavit.

Mirum eſt (ait *cel. Tralles* A) multos claros viros fuſius egiſſe de venenis, quin integros Libros de iis conſcripſiſſe,

(A) De uſû opii &c. §. 1. p. 37.

neque tamen, quod præcipuum erat, exposuisse, quid nomine veneni intellectum velint, notionemque adæquatam hujus vocis haud suppeditasse : laudari eapropter debet *Ill. Hoffmannus*, qui clarius exposuit per venenum intelligendam esse *materiam quæ summâ partium suarum tenuitate & activitate universum genus nervosum afficiendo vel magnam perniciem vel certam mortem inferat* . . . . . . verum enim verò inter medicamenta, id est inter corpora vel naturâ producta, vel ex his arte præparata, quæ ingesta vel applicata corpori, ejus fluida & solida omnesque functiones ita mutant, ut exinde sanitas & vitæ duratio emergat, dantur non minus quæ minimâ mole, summâque activitate atque actione in Syntaxim nervosam hoc præstant. Igitur omne illud, quod, licet etiam exiguâ mole in nervos agendo, talem mutationem in corpore parit, quæ in conservationem ejus tendit, & functiones antea à sueto ordine naturali deflectentes in naturalem statum seu sanitatem reducit quomodocunque, erit medicamentum; atque è contra omne illud, quod eam functionum mutationem producit, quam corpus sanitate & vitâ præcipue salvis manentibus non diu fert, venenum appellari debebit. Ex his ergo clarissimè conficitur & venenum & remedium, in relatione cum corpore illo, cui internè vel externè applicatur, saltem esse vel venenum vel remedium . . . . . . sunt qui paulo largiorem dosin opii bene ferunt, sunt qui dosi granum integrum non habente valde offenduntur . . . . . adeo sanè interest doses legitimas Pharmacis pro corporum quibus destinantur indole stabilivisse, ne ex Pharmaco incomparabili venenum emergat, si dosis nimis extendatur; adeo verò etiam certum habetur ipsa venena teterrima refractis & refractissimis dosibus adhibita in summa quandoque remedia abire. Quotusquisque non horret famosum Arsenicum? quis verò nescit minutulas doses non raro febribus fuisse oppositas, etiam sine damno.

Venenum igitur in genere vocatur omne id, quod intus assumtum, vel extrinsecus admotum qualitate quadam vel agendi ratione corpori animali vehementer nocere aptum est:

Digitized by Google

non enim eſt de veneni eſſentiâ ut animalia conſtanter occidat, ſed ſatis eſt ſi illud qualitate quadam corpori animali multum infenſâ præditum ſit.

Ut tanta venenorum vegetabilium in agendo diverſitas ſimplicior reddatur, illa in ſex claſſes redegi.

Addidi unam alteramve Plantam olim pro exoticâ habitam, nunc vero (poſt longam frequentemque in hortis agriſve noſtris culturam) quaſi indigenam factam.

Cum ad vegetabilia indigena quoque ſpectent olea varia, ſalia alcalina &c., hæc Plantis ſubnectere haud incongruum fore viſum fuit.

Ex veneni indole benè perſpectâ & trutinatâ patebit, quid ſelectu opus ſit inter varia antidota adverſus quamvis veneni vegetabilis ſpeciem uſurpari ſolita.

Digitized by Google

CLASSIS PRIMA.

VENENORUM ACRIUM.

COLCHICUM

Foliis planis, lanceolatis, erectis.

Linn. Sp. Plant.

In variis Belgii hortis colitur.

HOMINIBUS, canibus, lupis, gallinis &c. admodum acre & deleterium venenum est.

A Colchico comesto sequentia oriuntur symptomata; nempè faucium constrictio, tensio magna circa scrobiculum cordis, ardor in ventriculo, sitis, singultus, capitis dolor, pruritus totius corporis, dolores colici, continua irritatio circa vias urinarias cum urinâ flammeâ, stranguriosâ, artuum tremores, abdominis & præcordiorum diræ convulsiones, horrendus vomitus, horrendus alvi fluxus, nonnunquam sanguineus, convulsiones, ventriculi intestinorumque inflammatio, gangræna lethalis.

Digitized by Google

HELLEBORUS albus flore ſubviridi *C. B. pin.*

HELLEBORUS niger flore roſeo *C. B. pin.*

Hæ Plantæ apud nos in hortis coluntur.

Uterque Helleborus merito inter plantas venenatas refertur & luctuoſiſſima hujus rei exempla nobis reliquerunt viri fide digniſſimi. (*a*)

Horrenda ab Helleboro albo oriuntur ſymptômata; nempè reſpirandi difficultas, anxietas inſignis, ſtrangulatio faucium, aduſtio linguæ, eructatio plurima & inflatio, vomitus enormis, alvi fluxus immanis & nonnunquam cruentus, ſternutationes violentæ, ſingultus, lipothymia, ſudor frigidus, ventriculi inflammatio, corroſio cum maculâ nigricante magnâ, (*b*) lethales convulſiones. (*c*)

Sæpè etiam Veratrum album, ano inditum, ſtomachum æquè infeſtat ac id quod per os ſumitur. (*d*)

Ab Helleboro albo naribus adtracto ſternutationes violentæ obſervatæ fuerunt. (*e*)

Helleborus albus aut ejus ſuccus vulneribus inditus celerrimè necat. (*f*)

(*a*) *Tournefort*. Itinerar. tom. 3. epiſt. 21. p. 348.
Salmaſius in exerc. de homonym. hyl. jatric. cap. 50. pag. 55. ſeq.
Boneti Sepulchret. tom. 2. pag. 91. obſ. 6.
Morgagni de ſedib. & cauſ. morb. L. IV. epiſt. 59. art. 15. & 16.
(*b*) *Boneti* Sepulchret. loc. cit.
Morgagni loc. cit.
(*c*) *Boneti* loc. cit.
Morgagni loc. cit.
Idem de ſuo Helleboro, a noſtro forſitan diverſo, adnotavit *Hippocrates Aphor*. 16. *ſect*. 4. Helleborus periculoſus eſt ſanas carnes habentibus, convulſionem enim inducit. . . . . & *Aphor*. 1. *ſect*. 5. Convulſio ex Helleboro, lethale.
(*d*) *Lambſma* ventr. flux. multipl. pag. 214.
(*e*) *Stalp. Vanderwiel* tom. 1. obſ. X. pag. 47.
(*f*) *Cæſalpin*. de Venen. pag. 141.
Lang ep. L. 1. pag. 168.
Crato L. 2. prax. pag. 220.

Digitized by Google

Non ſolum homines, verum etiam Canes, Mures, Muſcas, Pediculos &c. interficit.

Coturnices, veratro victitantes, hominibus eas comedentibus aliis diriſſimas convulſiones, aliis miſerrimam attuliſſe mortem *Galenus*, *Schneidelius*, *Schenckius* aliique referunt: verum coturnices noſtrates, quæ lecto veſcuntur frumento, nihil incommodi afferre ſolent.

Symptomata vero ab aſſumto Helleboro nigro ſunt quæ ſequuntur: anxietas, nauſea, vomitus, ſæva tormina cum acri teneſmo, alvi fluxus frequens, nonnunquam etiam cruentus, ſingultus, inflammatio ventriculi & inteſtinorum (*a*) convulſiones, mors. (*b*)

Homines, equos, boves, ſues &c. necat.

Haud deſunt tamen, qui magnam Hellebori quantitatem ſine noxâ aſſumere queunt: Pharmacopolam quemdam totos Hellebori manipulos, nullo ſubſequente vomitu aut alvi fluxu, innocuè commediſſe narrat SALMUTH *in notis ad Pancirol. rer. deperditar.* Mulieris thraciæ, quæ veratrum maximè appetebat & impunè devorabat, meminit C. SCHOTTUS *in phyſ. L.* 3. Tanta eſt, tamque mirifica conſuetudinis vis, ut quaſi altera natura efficiatur; ventriculus enim & inteſtina iteratis ſæpe ſtimulis, veluti equus calcari aſſuetus, tandem vel non, vel vix obtemperant: hujus rei exemplo, haud facilè tamen imitando, nobis eſto ponti rex *Mithridates*, qui corpus ſuum quotidiano venenorum uſu adverſus lethifera pocula firmavit. Undè *Martialis* L. V. canit.

Profecit poto Mithridates ſæpè veneno
Toxica ne poſſent ſæva nocere ſibi.

(*a*) *Morgagni* de ſedib. & cauſ. morb. L. 4. ep. 59 art. 15.
(*b*) *Morgagni* L. cit. art. 15 & 16.

Digitized by Google

RANUNCULUS pratensis, radice verticilli modo rotunda *C. B. pin.*

In pratis siccioribus & circa semitas passim provenit.

RANUNCULUS palustris, apii folio, lævis *C. B. pin.*

In locis humidis, uliginosis nascitur.

Horum omniumque ferè aliorum numerosissimorum (quos cunctos hîc describere necessarium non est) Ranunculorum tum radix, tum universa herba hominibus cæterisq; animalibus perniciosa est.

Hæ aliæque nonnullæ Ranunculorum species contusæ & corpori extrinsecus applicatæ excitant dolorem, rubedinem, inflammationem (*a*) vesicas, febrem, phrenitidem & rabiei speciem (*b*) syncopem, ulcera fœtidissima, convulsiones (*c*) gangrænam. (*d*)

Si herba (ait *Boerhaavius* e) in nares intrudatur indomabilem sternutationem causat.

Ranunculus vero comestus inducit anxietatem, stomachi ardorem intolerabilem, syncopem (*f*) linguæ, palati, faucium, ventriculi, intestinorum inflammationem, gangrænam, oris distorsionem, convulsiones lethales. (*g*)

(*a*) Dantur plures plantæ acres, quæ in pultem contritæ & applicatæ partibus paralyticis dolorem excitant & inflammationem faciunt, omnes ferè ranunculorum species, raphani rusticani radix in scobem rasa, bulbi ceparum, allia, sinapi semina contusa &c. talem effectum præstant. *Vansw.* com. t. 3. pag. 388.
His quoque adde sedum minus, acre, anemonem maximè pulsatillam botanicis dictam, persicariam urentem, clematitides urentes, quæ plantæ omnes non coctæ, sed crudæ & recentes extrinsecus corporis parti admotæ acrimoniâ suâ inflammationem, vesicas & (si diutius applicatæ maneant) gangrænam inducere natæ sunt : hinc patet usum earum crudarum ac non correctarum internum haud semper esse tutum.
Sic portulacam viridem & crudam (coctione vis ejus vanescit) vim causticam possidere, &, si diutius comedatur, digestionem lædere, nec non cardialgicos dolores inducere experimentis probat CEL. LECAMUS *memoire s. div. sujets de medec. pag.* 89. *suiv.* . . . . Lumbricos quoque necare & certissimum tineæ remedium esse dicitur.

(*b*) *Tissot* de variol. apopl. & hydrop. pag. 82.

(*c*) Ephem. Germ. decur. 2. ann. 7.

(*d*) *Tissot* loc. cit.

(e) Hist. plant. pag. 52.

(*f*) Ephem. Germ. decur. 3. ann. 2.

(*g*) Ephem. Germ. loc. cit.

Digitized by Google

TITHYMALORUM VARIÆ SPECIES.

LATHYRIS, ſive CATAPUTIA minor *Off. J. B.*

Provenit in locis cultis & ſabuloſis.

ESULA major *Dodon.* TITHYMALUS Paluſtris fruticoſus *C. B. pin.*

Naſcitur in paluſtribus quibuſdam Belgii locis.

ESULA minor *Dodon.* TITHYMALUS cypariſſius *C. B. pin.*

in campeſtribus quibuſdam locis copioſiſſimè provenit.

TITHYMALUS marinus *Dodon.* TITHYMALUS maritimus *C. B. pin.*

Creſcit in maritimis & ſecundum amnes locis.

TITHYMALUS ſive ESULA exigua *C. B. pin.* TITHYMALUS minimus anguſtifolius annuus *J. B.*

In Segetibus naſcitur.

TITHYMALUS helioſcopius *C. B. pin.*

In Ruderibus potiſſimum & circa oppida naſcitur.

Hæ & ferè omnes aliæ Tithymalorum ſpecies, (uti Peplus ſive Eſula rotunda, Euphorbium &c.) ſucco lacteſcente, acri & cauſtico ſcatent.

Digitized by Google

Tithymalus hominibus piſcibuſque exitialis eſt.

Mulierem quamdam intra mediam horam poſt injectum enema ex Tithymalo periiſſe D. *Mangin* (*a*) ſcribit.

Externum ſucci Eſulæ uſum perquam noxium fuiſſe ſingulari exemplo oſtendit *Riedlinus.* (*b*)

Tithymalus comeſtus, ejuſve ſuccus hauſtus ſaporem acrem & fervidum (*c*) ori, linguæ, faucibus &c. imprimit, vehementer per inferiora, nonnunquam etiam per ſuperiora purgat, omnes, quas tangit, partes rodit, inflammat, ventris tormina intolerabilia, ſingultum, lipothymiam, ventriculi & inteſtinorum gangrænam aut lethales convulſiones excitat.

IMPERATORIA *Linn. ſpec. plant.*

Ornatûs gratiâ in hortis colitur.

Liquor oleoſus ex hujus Plantæ radice, caule, foliis inciſione eductus acerrimus eſt ac cauſticus, ad indolem ſucci lacteſcentis Tithymalorum accedens.

I R I S.

Vix Tithymalo cedentem, acerrimum, inflammantem, exurentem ſuccum continent variæ Iridis ſpecies (*d*) quæ apud nos coluntur in hortis.

PALMA CHRISTI ſive RICINUS vulgaris *C. B. pin.*

Paſſim in hortis plantatur.

Ejus ſemina eodem modo, quo Lathyris ſeu Cataputiæ minoris grana, in corpore operantur.

B

(*a*) Voiez *Buchoz.* tr. hiſt. d. plant. de la Lorraine.

(*b*) Lineæ med. ann. 1698 menſ. Jun. obſ. 16. pag. 495. ſeq.

(*c*) Semina lathyris ſeu cataputiæ minoris maſticantibus, ubi primùm aſſumta ſunt, guſtû dulcia videntur; verùm blandus eorum ſapor brevi tempore in fervidam acrimoniam tranſit.

(*d*) *Boerh.* Hiſt. Plant. p. 594.

Digitized by Google

PINGUICULA vulgaris *Linn.*

Nascitur in palustribus, & montosis humidis ubi aquæ scaturiunt : colitur etiam in hortis.

Hæc Planta saporis est pinguis, acris, amari, alvum solvit, ejusque esû moriuntur oves.

PLANTAGO palustris seu aquatica *Taber.*

In aquosis & paludribus spontè nascitur.

Acris est, contrita cutique admota dolorem, inflammationem & vesicas excitat; jumentis verò comesa posteriorum corporis partium atrophiam & marcorem aut mortem affert. (*a*)

SAMBUCUS cymis quinquepartitis, caule arboreo *Linn. spec. plant.*

SAMBUCUS humilis sive EBULUS *C.B.pin.*

Passim in Belgio copiosè proveniunt.

Ob vim emeticam & catharticam vehementissimam in venenorum vegetabilium classe meritò collocantur. (*b*)

Folia, cortex medianus, succus intùs sumta post sævissimos dolores abdominis, singultum, lipothymiam, evacuationes copiosissimas tandem inflammatione ventriculi aut intestinorum, vel etiam convulsionibus immanibus incautos non raro occidunt.

BRIONIA aspera, sive alba baccis rubris *C. B. pin.*

Passim in sepibus & juxta semitas nascitur.

Radices vehementissimè purgant; hinc non sine summâ circumspectione dari debent : eadem producunt symptomata ac ebulus.

(*a*) *Fabrogov.* & *Lindestolpe* de venen. p. 378.
(*b*) Conf. E. N. C. dec. 2. ann. 7. obs. 170.

Digitized by Google

ŒNANTHE aquatica *C. B. pin.*

In paluſtribus locis ac rivulis potiſſimùm naſcitur.

Hominibus, porcis, talpis aliiſque multis animalibus funeſta eſt.

Symptomata Œnanthes guſtatæ aut comeſæ ſunt, mutitas, vertigo, ardoris ſenſus in faucibus, ventriculo, vomitus aut etiam vomendi conatus ſine effectû, diarrhæa, conſtrictio ſpaſmodica œſophagi & maxillæ, ſingultus, mentis alienatio, fluxus ſanguinis ex auribus, è naribus, convulſiones totius corporis immanes ac tandem lethales. (*a*)

ASARUM *C. B. pin.*

Colitur in hortis.

Suſpectis ac inſtar veneni agentibus Plantis, ſi incautiùs ingeratur, quoque annumerari poteſt Aſarum vomitû aut alvi fluxû vehementiſſimo robuſtiores aliquando interimens: teſtis oculatus *Wedelius* (*b*) fuit juvenis, qui, ſumto cochleare pulveris foliorum aſari indomabili hypercatharſi miſerè periit.

DORONICUM foliis cordatis obtuſis, radicalibus petiolatis, caulinis amplexicaulibus *Linn. Mat. Med.*

In nonnullis Belgii hortis reperitur.

Hujus Plantæ radices hominibus & quadrupedibus, præſertim canibus, lupis &c. mortiferæ ſunt; ab illis enim comeſtis in lethalem epilepſiam incidunt.

Credunt quidam autores *Geſnerum* hâc plantâ intùs ſumtâ

(*a*) *M. Vaughan* tranſact. Philoſ. no. 238.
Item *Boerh.* hiſtor. plant. pag. 79. . . . . Si hæc planta guſtetur, mortem illicò homines convellendo infert, ut Hagæ Comitis accidit, ubi duo homines iverunt herbatum, qui hanc herbam invenientes guſtarunt, hinc primus ſtatim convulſus mortuus eſt, alter paulo poſt.

(*b*) Amœnit. mat. med. L. 2. §. 2. c. 4. pag. 240. & de medicam. facult. L. 2. §. 1. c. 8. pag. 158.

è medio ſublatum fuiſſe ; ſed hanc famam à veritate maximè alienam eſſe ſatis demonſtravit *ill. Hallerus.* (*a*)

ARUM foliis ſagittatis, cucullo recto *Hall.*

In ſilvis aliiſque locis humidis, frigidis & umbroſis creſcit. (b)

Radix ari recens nec non ejus folia acrimoniâ urente, pungente, vellicante vehementiſſimâ pollent & venenorum vim obtinent.

Ab infuſo foliorum ari vomitum cruentum fuiſſe excitatum teſtatur *Stæbelinus.*

A radice recenti comeſtâ juvenem cardialgiâ raptum ſcribit *Cl. Storck.*

LAUREOLA ſemper virens, flore viridi; quibuſdam *Laureola mas C. B. pin.*

LAUREOLA folio deciduo, flore purpureo; officinis *Laureola femina C. B. pin.*

Hæ plantæ in hortis coluntur ; verùm Laureola mas (*inquit* Dodoneus *c*) *in ditione Leodienſi & circa Namurcum ſpontè progerminat.*

Cortex, folia & fructus harum, nec non plurimarum aliarum Thymeleæ ſpecierum ob vim cauſticam, emeticam violentiſſimam, & hypercatharticam à ſanioribus medicis pro veneno habentur. (*d*)

(*a*) Biblioth. botan. tom. 1. pag. 285.

(b) Quo humidior atque umbroſior locus natalis eſt, eo acrior etiam radix deprehenditur. *Cartheus. mat. med. t. 2. pag.* 247.
„ Omnes plantæ aquaticæ in loco ſicciore cultæ mirum quantum de „ acredine ſuâ demittant . . . . .apium dulce, celeri Italorum, gra- „ tiſſimum in menſis; quum ſpontè creſcit in paludoſis, acre, nau- „ ſeoſum & venenatum; per culturam verò in loco ſicciori dulceſ- „ cit & eſculentum evadit. „ *Frid. Haſſelquiſt. O. Gothi.* diſſert. de virib. plant

(*c*) Cruydt-boeck bl. 594.

(*d*) V. . . . . *Gazette ſalutaire* de 1761. ubi legitur triſte exemplum *Fr Bacchi*, qui, ſumto ſcrupulo uno pulveris Laureolæ, miſerè periit.

Digitized by Google

OLEASTELLUM *Dodon.*

In hortis colitur.

Vi venenatâ ad Laureolam proximè accedit.

CYCLAMEN foliis cordatis, corollâ reflexâ *Linn. H. Upſ.*

Provenit in umbroſis locis, maximè ſub arboribus.

Recens radix (ait *Boerhaavius* a) eſt valdè acris; ſed, exſiccatâ, nulla acredo percipitur; purgat cum inflammatione ventriculi, faucium & ani; hominibus flatus, tormina & vomitus producit; hinc in hâc eſt vis venenata; ob ſui penetrantiam ſuccus abdomini hydropicorum applicatus aquas educit; indè unguentum de arthanitâ ingreditur.

CUCUMIS ſilveſtris, aſininus dictus *C.B. pin.*

In Belgio ſatus naſcitur.

Ejus ſuccus *elaterium* appellatus, etſi minutiore doſi exhibeatur, vim acriter purgantem poſſidet, quapropter ad draſtica & periculoſa purgantia referri meretur.

Cucumeris aſinini vires quoque æmulatur colocynthis (ſacræ Scripturæ 2. reg. 4 memorata *mors in ollâ*) ſeu *cucumis foliis multifidis, pomis globoſis, glabris* Lin. H. Ups. 293. apud nos ſatus provenit, ſed ejus fructus rariſſimè perfectionem attingit.

ARNICA foliis ovatis, integris, conjugatis *Hall. Helv.*

In Helvetiâ, Bohemiâ &c. paſſim in pratis ac ſilvis, humidioribuſque locis montanis ſpontè creſcit; apud nos autem in hortis ſata provenit.

Saturatius infuſum aut decoctum anxietates, nauſeas, vomitus, dolores crudeliſſimos cardialgicos, colicos non ſine periculo, etiam in valentioribus excitaſſe obſervatum eſt. (*b*)

(*a*) Hiſtor. plant. pag. 621.
(*b*) *Gemelin* fl. ſib. t. 2. pag. 153.

Digitized by Google

GRATIOLA centauroides *C. B. pin.*

Apud nos in hortis colitur.

Vim catharticam & emeticam atrocissimam possidet, quod in se ipso olim expertus est *Gesnerus* (*a*) : Vermes quoque enecat.

DELPHINIUM platani folio, STAPHISAGRIA dictum *Tourn.*

Ob Florûm pulchritudinem in hortis colitur.

Semina hominibus, muribus, pediculis funesta sunt.

Staphisagria (ait *Matthiolus* b) adurit fauces & palatum, vomitiones commovet, ventriculi erosiones facit & dysentericos fluxus ciet, postremò strangulat, nisi statim succurratur.

ATRIPLEX silvestris, latifolia, laceris laciniis *Lob.* PES ANSERINUS *Dodon.*

Passim in hortis aliisque campestribus locis & ad vias sponte crescit.

ATRIPLEX maritima, laciniata. *C. B. pin.*

ATRIPLEX maritima, angustifolia.

Hæ duæ species in Belgii locis non procùl à mare sitis inveniuntur.

Prima species comesta suibus exitium affert. (*c*)

Atriplices maritimæ (inquit *Boerhaavius* d) alliciunt aviculas, quæ hâc herbâ depereunt.

(*a*) Epist. med. lib. 3. pag. 94.
(b) Comment. in libr. sext. dioscorid. cap. 5
(*c*) *Dodon.* Cruydt-boeck bl. 964.
(d) Hist. plant. pag. 546.

Digitized by Google

CARYOPHYLLUS indicus major *Matth.*

CARYOPHYLLUS indicus minor *Matth.*

Hæ plantæ in hortis noſtris amœnè floreſcentes ſuperbiunt.

Maſticatæ os, labia, linguam, fauces inflammant; deglutitæ verò homines, porcos, canes, feles, mures &c. occidunt.

CALTHA paluſtris *Linn.*

Hæc planta, etiam Populago *dicta, in paludoſis & hortis creſcit.*

In ſummâ graminis penuriâ boves eam fugiunt; ſi verò edant, tum primò eorum fauces, æſophagus & ventriculus inflammantur, & tandem moriuntur. (*a*)

ROS SOLIS folio rotundo ſeu oblongo *C. B. pin.*

In pratis uliginoſis inter muſcos naſcitur.

Hæc planta Ovium gregibus comeſa nocet & tuſſim lethiferam concitat. (*b*)

EVONYMUS vulgaris, granis rubentibus *C. B. pin.*

Hæc arbuſcula in ſepibus noſtris nonnunquam obvia eſt.

Folia & fructus pecora, potiſſimùm tamen capras, interficiunt, niſi vomitû aut alvi fluxû mox ſubſequente liberentur.

Baccarum decoctum capiti illitum pediculis quoque funeſtum eſt.

(*a*) *Boerh.* Hiſt. plant. pag. 378.

(*b*) Conf. *Bartholin.* act. hafn. IV. obſ. 38. & *Brendelii* diſſertatio de rorellâ; item *Eyſelii* diſſert. de rore ſolis.

Digitized by Google

JUNIPERUS foliis seſſilibus, patentibus *Linn. fl. ſuec.*

Hic frutex in ſilveſtribus & montoſis locis progerminat.

A Baccarum juniperi uſu frequentiori aut majori Lumbago (*a*) ardor urinæ (*b*) Hæmaturia (*c*) diabetes lethalis (*d*) inducta fuerunt.

NERIUM OLEANDER *Linn.*

Hæc ſtirps exotica, ob florum tamen pulcbritudinem & perpetuæ frondis bonorem in multorum bortis conſpicua eſt.

Flores & folia hominibus (*e*) & quadrupedum plurimis venenoſa ſunt.

Ab aſſumto hoc frutice ejuſve ſucco oritur magna inflammatio linguæ, palati, faucium, (ita ut deglutitio impediatur) abdomen intumeſcit & dolet; his accedunt anxietas ſumma, univerſi corporis æſtus & inflammatio, vomitus violentus & ſimilis alvi fluxus, mentis alienatio, ſyncope; hanc denique flebilem tragœdiam lethum finit. (*f*)

ABIES marina belgica *Cluſi.*

PINUS ſilveſtris *C. B. pin.*

Hæ arbores in quibuſdam Belgii ſilvis & montibus reperiuntur.

Si equi harum aliarumve ſimilium arborum reſiniferarum frondes comederint, vel ægrotant, vel moriuntur. (*g*)

(*a*) *Geoffroy* tr. de la mat. med. tom. 7 pag. 129.
(*b*) Le même.
(*c*) *Car. Piſô* ſect. 4 cap. 2 obſ. 105 pag. 129.
(*d*) ACAD. N. C. vol. x. obſ. 52.
(*e*) *Morgagn.* de ſedib. & cauſ. morb. L. 4 ep. 59 art. 12.
(*f*) *Morgagn.* L. c. art. 13.
(*g*) Conſ. infrà dicta ad ſpiritum vini pag. 27. ſeq.

Digitized by Google

CORONA IMPERIALIS *Dodon.*

Ob florûm elegantiam colitur in hortis.

Hanc plantam ob ſuccum valdè acrem, mordacem, exulcerantem pernicioſam eſſe *Wepferus* & *Camerarius* experimentis edocti referunt.

RUBIA TINCTORUM ſativa *C. B. pin.*

In nonnullis Belgii locis copiosè ſeritur.

Hæc planta avibus, eâ diutius paſtis, unà cum oſſium rubore, languorem affert & mortem (*a*)

HYACINTHUS *offic. botanicor.*

Colitur in hortis.

Radicem bulboſam, ob ingentem vomitum quem excitat, pro veneno habet *Boerhaavius.*

CHAMÆDRIS procumbens, foliis ſolidis, ovatis, rotundè crenatis, *Hall. Helv.*

Naſcitur in ſilvis & pratis, colitur etiam in hortis.

Plures atque eximias ejus virtutes varii laudant autores; ſed peſſimum hujus plantæ effectum *Cel. Gaubius* (*b*) recenſet: quare judicium noſtrum retinebimus, donec reiterata experimenta hanc plantam aut criminentur, aut ſuſpicione criminis abſolvant.

SATUREIA Hortenſis *Linn.*

In hortis ſeritur & rei culinariæ inſervit.

Ab uſû ejus immoderato nonnunquam tuſſis, vigiliæ, hæmaturia, hæmoptiſis producuntur. (*c*)

(*a*) *M. Valmont de Bomare* Dict. d'hiſt. nat. t. 3 pag. 17.
(*b*) Haarlemſche Maatſchappye A. 1758.
(*c*) Conf. *Boerh.* Hiſt. Plant. p. 230.

Digitized by Google

PETROSELINUM *officin.*

Passim in hortis Oleraceis colitur.

Petroselinum peculiari acrimoniâ aves enecare experimento constat. (*a*)

Antidota sunt acetum, succus citri &c.

VISCUM baccis albis *C. B. pin.*

Ejus baccæ intùs sumtæ vehementer purgant, nec non ventriculum & intestina inflammant.

RAPISTRUM flore luteo, *C. B. pin.*

Rapistrum, *etiam* Raphanistrum *dictum*, *nascitur inter segetes & ad vias.*

A seminibus ejus secalino mixtis artuum contracturam cum agitatione convulsivâ & doloribus crudelissimis per periodos redeuntibus inductam fuisse *Linnæus* refert. (*b*)

SABINA folio tamarisci Dioscoridis *C. B. pin.*

Reperitur in Belgii hortis perpetuò virens.

Vires ejus venenis non absimiles aliquando expertæ fuerunt infelicissimæ mulieres, præsertim gravidæ. (*c*)

Abortum enim, hæmoptisim, hæmaturiam, hæmorrhoidalem fluxum immodicum, ac hæmorrhagias uterinas lethales nonnunquam excitavit: cautè igitur adhibenda, suspectisque puellis nunquam danda; eâ enim sumtâ, pseudo-virgines furtivo stupro imprægnatæ immaturos fœtus expellunt, atque non rarò etiam propiam, sed anxiam vitam cum præcipiti morte commutant; undè hic quadrat illud quod olim *Ovidius* cecinit. (*d*)

(*a*) *Sauvages* Acad. des Sciences 1739.

(*b*) Differt. de Raphaniâ, amœnit. acad. tom. 6.

(*c*) Meminit *Waltherus in Ephem. germ. cent.* 3 & 4. *pag.* 230. trium mulierum unà cum fœtibus à stolidâ feminâ necatarum, quæ illis, quo partus acceleraret, decoctum sabinæ exhibuerat.

(*d*) Amorum lib. 2. eleg. 14.

Digitized by Google

Quæ prima instituit teneros convellere fœtus,
Militiâ fuerat digna perire suâ.

. . . .

Hoc neque in Armeniis tigres fecere latebris:
Perdere nec fœtus ausa leæna suos.
At teneræ faciunt, sed non impunè, puellæ.
Sæpè suos utero quæ necat, ipsa perit.

MERCURIALIS perennis, repens, *Cynocrambe* dicta *J. R. H.*

Habitat in silvis umbræ cupida.

Vim emeticam & catharticam possidet: hanc plantam instar veneni egisse in pueris atque adultis *Sloan* habet. (*a*)

Alia species Mercurialis caule brachiato, foliis glabris, quæ *Linnæo* subvenenata censetur, ovibus lethalis est. (*b*)

BETA *Officin. botanic.*

Seritur in agris oleraceis

Succus ejus naribus attractus enormem capitis intumescentiam, vertiginem, anxietatem, vigilias, cephalalgiam acerbissimam induxit. (*c*) Undè violentissimo huic errhino parùm fidendum esse meritò censuerunt Autores.

DIGITALIS foliis calycinis, ovatis, acuminatis *Royen.*

Colitur in hortis.

Acrimoniâ suâ os, fauces, œsophagum, ventriculum exul-

(*a*) Philosoph. transact. No, 203.
(*b*) Acad. N. C. vol. 10.
(*c*) *Olaüs Borrichius* in actis Med. & Phil. Hafnienf. obs. 63. ann. 1673.

Digitized by Google

cerat, nec non vehementem vomitum & dysenterias vix curabiles concitat. (*a*)

Cohortalibus avibus lethalis est. (*b*)

URTICÆ, CORIANDRI & NIGELLÆ Semina nonnullis venenata habentur, licet de eorum virulentiâ experimenta luculenta desint. Funesto errore sæpè pro nigellæ semine divenditur daturæ semen; (*c*) undè mirum non est quosdam nigellæ semina inter venena collocasse.

(*a*) *Dodon*. cruydt-boeck bl. 253.
Boerh. hist. plant. pag. 308.
(*b*) Hist. de l'acad. des scienc. ann. 1748.
(*c*) Breslav. 1727. pag. 122.

Digitized by Google

ANTIDOTA VENENORUM
CLASSIS PRIMÆ.

INDICATIONES. (a)

QUomodocunque (inquit *Cel. Tralles* b) comparatum ſit venenum cognitum quod infecit ægrum, eo reſpicere debet Medicus.

Primo : ut id quantociùs, antequam totum corpus affecerit & deſtruxerit, expellat, & quidem tali viâ, quæ ejus indoli & loco, ubi hæret, conveniat.

2.do Ut illud immutet & invertat, ac iners reddat, quo lædere nequeat.

3.tio Ut effectus ejus, per quos necem adfert, omni arte impugnet.

VENÆSECTIO.

FAcilè intelligitur cauſæ ipſi, acri ſcilicet vegetabili veneno ſtabulanti in primis viis nihil detrahere Phlebotomiam; verùm experientiâ conſtat acris irritantis funeſtos effectus ſanguinis miſſione ſæpè præcaveri : nemo enim neſcit inflammationem, gangrænam ſphacelumve ventriculi & inteſtinorum non raró produci ab acribus venenis : ubi igitur dolor

(a) Hæ indicationes in aliis venenorum claſſibus etiam locum obtinent.
(b) Uſus Opii ſalut. & nox. §. 4 pag. 221.

Digitized by Google

crudeliùs affligit, calor ingens, constitutio plethorica, pulsus magnus, fortis, frequens adsunt, cura inchoari (*a*) debet à sanguinis missione per sectam venam, aut etiam hyrudinum applicationem ano, si Hæmorrhoidibus suppressis quoque laboret æger: copiam educendi sanguinis subjectum, vehementia Symptomatum, pulsus &c. indicabunt.

Quando verò post crudelissimos dolores toleratos, copiosas evacuationes prægressas, pulsus debilis, tardus & parvus est, miserisque extremæ corporis partes frigent, spontè apparet phlebotomiam nocentissimam futuram.

VOMITUM MOVENTIA.

Si sumtum venenum acrimoniâ suâ vomitum producat, intertinendus is erit diluente liquido largâ manû exhibito: hujus methodi præstantiam nos docuit magnus *Hippocrates* (b) *si quis*, inquit, *homini vomenti aquam multam bibendam dare velit*, *eluentur ea propter quæ vomit unà cum vomitu.*

Ubi verò vomitus post assumta venena spontè non fit, tum arte concitandus est: sedulò tamen annotandum emetica acriora, etiamsi hic à nonnullis præcipiantur, à peritioribus tamen exitialia censeri; turbas enim, torsiones, inflammationes &c. ab acri veneno jam excitatas augent, ac, uno verbo, currenti calcar addunt: igitur consultiùs est acrimoniam vellicantem sine additâ novâ acrimoniâ, sine novo stimulo, cicuratam anteà potiùs & involutam vomitû tollere: variis observationibus constat plurimis optimè cessisse vomitum affatim haustâ aquâ tepidâ, oleo, mucilagine aut melle imbutâ (*c*) provocatum. Nonnunquam etiam juvat irritatione faucium mechanicâ vomitum concitare.

Notare expedit equis atque cuniculis non esse danda vomitoria, illos enim nunquam vomere norunt experti.

(*a*) Quando Venæsectio & purgantia necessaria sunt, primo Phlebotomiam, dein purgationem præscribunt gravissimi Viri *Hippocrates*, *Sydenhamius*, &c.

(b) Libr. de locis in homine sect. 51.

(*c*) Sola aqua tepida plerumque simul nauseam & vomitum solet excitare, inprimis si melle edulcorata fuerit. *Van Swiett. comment. tom.* 2. *pag.* 134.

Digitized by Google

PURGANTIA.

Præmiſſo vomitû, ad eradicanda illa, quæ jam ex ventriculo ad inteſtina tranſiverunt, multùm conducunt blandiſſima cathartica; exulare hic enim debent acria omnia ob rationes mox, dum de vomitoriis egi, ſufficienter allegatas: feliciori ſucceſſû uſurpantur calidum decoctum florum malvæ, calidum lactis ſerum vel lac ebutyratum &c. unicuique quorum libræ adjectæ ſunt Mannæ pinguis unciæ duæ, mellis, ſyrupi de althæâ ana uncia ſemis. His omnibus irritis, imminens exitium ſæpè avertit hyoſciami extractum, (*a*) divinum ſanè remedium, cujus efficaciam ſimilibus in caſibus non raró feliciter expertus ſum.

C L Y S M A T A.

Nec futilia cenſeri debent Clyſmata lubricantia, involventia, quæ acre venenum in inteſtino recto hærens non ſolùm involvunt & vaginâ quaſi incluſum ſine ſtimulo educunt, verùm etiam ſpaſmodicas inteſtinorum contractiones (*b*) tollunt ac nudos nervorum villos inveſtiunt & à ſtimulo defendunt, inflammationem inteſtinorum imminentem præcavent & natam ſolvunt: inter enemata illa præſtant quæ ex lacte, oleo amygdalarum dulcium, ſalab, gummi arabico, tragacanthâ, decocto radicum althææ &c. parantur, quorum efficacia multiplici experientiâ comprobari videtur: ſingulis aut alternis horis hæc injici poſſunt.

Scire etiam juvat multum conferre Clyſmata primùm ex ſpiritû vini, dein ex memoratis lubricantibus & involventibus parata, ſi particulæ reſinoſæ acres inteſtino rectò firmiter adhæreant, illudque vehementer irritent.

(*a*) De Hyoſciami extracto vid. pag. 31 ſqq.

(*b*) Dum ſpaſmo conſtrictæ inteſtinorum fibræ horrendos illos faciunt cruciatus, molliſſima olea ad libras uſque potata, & per clyſmata injecta, ſolvunt hoc ſtrictum, laxatis fibris. *Van Swiett. comm. t.* 1 *p.* 46.

Digitized by Google

ACIDA.

Multis Encomiis condecorantur à Practicis celeberrimis (*a*) remedia acida, quæ venenorum vegetabilium vim multùm diminuunt : undè cum nimia purgatio (ait *Cel. Lambſma* b) à Medicamentis incidit, tum plerumque confugiendum eſt ad acida : nam & ii quos acidum malè habet, plurimis purgantibus non moventur, & pleraque, quæ aceto reſperguntur, minùs valentia ſunt. Ubi Scammoneum ſulphure accenſo fumigatur, vis purgans multùm infringitur. Hellebori quoque radix & poma colocynthiaca ex aceto cocta miteſcunt.

Cautè tamen adhiberi debent acida, cum denudata ac eroſa inteſtina ab iis nonnunquam graviter ſtimulentur : quando igitur acrimonia quædam in primis viis hærens acidorum uſum poſtulat, & è contrario inteſtinorum nimia irritabilitas illorum uſum vetat; tum, ut duplici huic indicationi ſatisfiat, danda erunt acida ſimul & demulcentia : hiſce viribus pollet lac ebutyratum, quod blandiſſimum acidum blandiſſimo oleo involutum gerens multum præfert *Cel. Tralles* (*c*) aceti acido per mel admiſtum mitificato : Mel enim (ſcribit *clar. Hoffmannus* d) ſtimulum inferre exſtimulatis jam aliundè inteſtinis, majoreſque in iis turbas excitare atque dejectiones plures cauſare poteſt. Igitur (ſic pergit *Cel. Tralles*) tum minimum oxymel non benè permitti credo, quando nullâ evacuatione ulteriori, ſed ſaltem alteratione humoris peccantis opus eſt.

Idem de Syrupis ſubacidis quibuſcunque oxymelli non abſimilibus dictum volo.

Avibus, memoratâ quâdam plantâ paſtis, ac indè languentibus ſanitatem quoque reddunt in earum ingluviem infuſa, vel potui addita acida & demulcentia.

(*a*) *Hoffmann*. med. ſyſt. tom. 4 part. 3 pag. 589.
Boerhaav. prælect. acad. §. 1216.
(b) Ventr. flux. multipl. pag. 250.
(*c*) Hiſt. choler. pag. 298.
(d) Tom. 4. part. 3. pag. 593.

Digitized by Google

SPIRITÚS VINI.

Spiritus Vini præstantissimum antidotum est, quod venena resinosa, quæ stomachi & intestinorum tunicis tenacitate suâ firmissimè adhærent, potenter solvit, ita ut tunc facilè convenientibus remediis expelli possint.

Antidotum illud ita feliciter cessit experientissimo *Clossio* (a) ut salutis communis interesse putaverit, ut illud publici juris fiat.

En propria autoris verba. . . . . . . Occasionem adhibendæ hujus antidoti mihi dedit observatio, quam inter alias, notatu digniores, mecum olim communicavit, quem suprà jam laudavi, *Cl. Diezius*, cujus summa hæc est : supericri bello, quum S. R. I. exercitus in stativis apud Zwickaviam in Saxoniâ magnâ pabuli inopiâ laboraret, equos tenerioribus arborum resiniferarum frondibus, quas silvæ vicinæ suppeditabant, alere cogebatur. Accidebat autem ut brevi plurimi equi vel ægrotarent, vel planè interirent. *Cl. Diezius* Medici Castrensis munere tum fungens, de causâ istius calamitatis curiosiùs anquirendo, eam non aliundè, quam à deglutitâ resinâ, ventriculi atque intestinorum membranæ villosæ tenaciùs adhærescente, derivandam, optimumque eapropter præsidium in liquoribus spirituosis, coagula resinosa dissolventibus, quærendum esse judicabat. Jubebat igitur equis cum potu spiritum frumenti præberi : cujus etiam usus tam salutaris reperiebatur, ut non tantum sani à morbo defenderentur, verum etiam ægrotantes ex eo convalescerent.

Admodum mihi placebat hæc observatio, statimque de illâ ad majores usus transferendâ cogitabam. Paulò post, ad detegendam genuinam catharticorum vegetabilium, pro perniciosis vulgò habitorum, indolem, complura, de quibus alio tempore referam, instituebam experimenta. Discebam ex iis, vim illorum drasticam ex solâ resinosâ ipsorum substantiâ, à menstruis gastricis & entericis non satis dissolutâ, pendere: sine fallaciâ

(a) Nova variolis med. meth. c. specim. obs. &c. pag. 123. sqq.
Item v. la lettre de M. *Houlston* dans le journal de med. t. 36 p. 355.

Digitized by Google

igitur concludere posse mihi videbar, liquores spirituosos adversus catharticorum istorum noxas, gastritide vel enteritide nondum præsentibus, remedia fore longè utilissima. Brevi hanc illorum virtutem experiundi sese offerebat occasio.

Vir quidam robustus, à Tonsore cognato catharticum aliquod validius petens, acceperat pulverem ex resinæ jalappæ & scammonii, utriusque granis duodecim : sumebat eum horâ sextâ matutinâ, sed non multò post rosiones acutiores in abdomine persentiscebat, ad quas mitigendas, viresque pharmaci promovendas, copiosum infusum foliorum theæ bibebat. Frustrà. Neque enim modo non movebatur alvus, sed istæ etiam rosiones in dirissimos cruciatus increscebant, quibus varia quidem ex seplasiâ suâ opponebat tonsor, sed sine ullo eorum levamento. A prandio in auxilium vocor. Alvus adhuc clausa, tantaque dolorum erat vehementia, ut ægrotus vix suæ mentis esset compos, uxorque & liberi ejulantes præsentissimam mortem ad fores esse crederent. Intellecto, quale sumsisset pharmacum, liquorem aliquem spirituosum adferri jubebam. Adferebant spiritum vini vulgarem. Hujus duo pocilla statim ab ægroto hauriri imperabam, idque quâvis octavâ horæ parte repeti, dum dolores satis essent consopiti. Prima duo pocilla parum adferebant levaminis, sed altera duo vix in ventriculum & intestina descenderant, quum cruciatus manifestò remitterent. Tertiis sorbillatis, paulatim in totum ferè evanescebant, tuncque novem copiosæ dejectiones serosæ succedebant. Quibus exantlatis, tum ad roborandum ventriculum, tum ad placandas spasmorum reliquias, ægroto justa theriacæ venetæ dosis ex vino generosiori porrigebatur : undè per totam noctem placidissimè dormiebat, postero die perbellè se habens, neque aliud magnoperè, nisi sitim, & aliquem Ventriculi Languorem, conquerens.

Summâ efficaciâ suâ hic se quoque commendat Spiritus Vini acidis mineralibus diuturnâ digestione junctus. Norunt Chemiæ periti (*a*) spiritum Vitrioli dulcem corpora resinosa, imò

(*a*) Inter alios vid. *Cartheuser.* pharm. pag. 158.

ipſum gummi copal, quod aliàs difficillimè ſolvitur, ut & olea ætherea tenerrimè ac promptè diſſolvere; undè liquor ille, hoc in caſu, duplici titulo anodynus vocari meretur, quod jam olim confirmaverat *Ill. Hoffmannus* (*a*) numeroſâ experientiâ clarus, qui in cholerâ à ſumto veneno vel motâ hypercatharſi aut hyperemeſi ſpiritum vitrioli dulcem, nitri dulcem &c. laudat.

DEMULCENTIA & INCRASSANTIA.

Ex vario Demulcentium, Incraſſantium effectu ſatis erui valet non minimam eſſe illorum utilitatem. Cuncta venena acria inviſcant, ac, quaſi in vaginis, ſic recondunt, ut agere amplius nequeant; præтereà ventriculum & inteſtina muco privata, excoriata, eroſa obliniunt, atque ita à ſtimulo defendunt; hinc ab *Ill. Hoffmanno* (*b*) jure ſunt celebrata: vix ſanè (ſcribit) melior his datur antidotus ad pernicialem toxici, ex animalium, vegetabilium & mineralium cenſu vim cicurandam & infringendam lacte præſertim & pinguedinibus copioſè ingeſtis, quæ non modo acerrima venenorum ſpicula obtundunt atque involvunt, ſed & conſtrictas per virus à validiſſimo ſpaſmo membranas laxant, & hâc ratione veneni evacuationem, ſive per vomitum, ſive per ſeceſſum adjuvant.

Igitur hoc in caſu ſæpè præſentaneam opem conferre valent olea blanda ex ſeminibus farinaceis maturis recenter expreſſa, ut ex amygdalis dulcibus cortice denudatis; gummi viſcoſa, inſipida & inodora, & inprimis gummi tragacanthum, arabicum, ceraſorum, pomorum, prunorum in aquâ ſoluta; radices ſalab, althææ, Malvæ &c., cydoniorum ſemina diluenti aquæ addita; adeps, butyrum inſulſum aliaque lacticinia. Horum uſus adhuc magis neceſſarius evadet, ſi ſingularis acrimoniæ indoles, ac proindè ſingularia ejus antidota in profundis tenebris adhuc lateant.

(*a*) Med. ſyſt. tom. 4. part. 3. pag. 274.
(*b*) Med. Syſt. tom. 2. part. 2. pag. 123.

Digitized by Google

Mictus cruentus, vomitus ſanguineus &c. ab acri veneno producti his involventibus gummoſis, lacte, aliiſve id genus impugnandi quoque veniunt.

Dum venena acria guſtantur, ſæpè magnus oritur ardor oris, linguæ, faucium cum metu ſuffocationis, inflammationis, gangrænæ; hoc in caſu illa, quæ acrimoniam corrigunt, detergunt, obvolvunt, eluunt &c. conducent. Illud nos proprio exemplo docuit *Illuſtr. Vanſwietten.* (*a*) Mezeræi baccas, (*ait*) quæ ſaporis lenitate fallebant, incautiùs guſtans, tantum ardorem in faucibus ſenſi, ut ſuffocationem metuerem: fruſtrà tentabam abluere aquâ illud acre, quod oleo inhærebat. Solâ poſcâ cum Melle potui tollere moleſtiſſimam hanc acrimoniam. Decoctum avenæ cum oxymelle ſimplici, rob ſambuci, ribeſiorum, ſyrupo è ſucco citri &c. gratiſſima ſimul & optima remedia dabunt; in illis enim diluens aqua adeſt, unà cum ſaponaceâ detergente vi, & grato acido, ſimul molle avenæ gluten prodeſt obvolvendo omnem acrimoniam.

Si acria naribus adtracta nimis diuturnam & vehementiorem ſternutationem concitent, lacte tepido aut decocto emolliente ex ſeminibus mucilaginoſis, radice althææ &c. ſunt eluendæ nares, nec non involvenda acria; verùm his incaſſùm adhibitis ad opium nonnunquam confugere licet.

Quando à Tithymalo aliove ſimili vegetabili veneno pars corporis externa irritata ac exulcerata eſt; venenum illicò auferendum & pars læſa lacte aut aquâ, vegeto-minerali dictâ, abluenda, dein emplaſtris vel unguentis ſaturninis, aliiſve præſidiis chirurgicis perſananda eſt.

OPIUM.

Dum, poſt aſſumtum venenum, adſunt dolores intolerabiles, ſpaſmodicæ contractiones, evacuationes profuſiores, nullo remedii genere tutiùs ac citiùs mors avertitur ab illis ſymptomatibus timenda, quam opio, in convenienti doſi dato; undè à Magno *Boerhaavio* (*b*) inter generalia venenorum antidota

(*a*) Comment. tom. 2 pag. 132.
(*b*) Inſtit. §. 1129.

Digitized by Google

numeratur : circumspectè tamen dandum est, nec nisi necessitate urgente; sæpè enim gravissima sequuntur mala, si illud detur, maximè in initio, non satis correcto & eliminato fomite: quamvis dolorem obtundat, evacuationes supprimat, non equidem venenum corrigit, undè malè interim quietum reddit cum ægro Medicum. Absit tamen ut opium semper suspectum habeamus, ubi materialis causa doloris, vel evacuationis nimiæ nondum correcta aut eliminata est: negligi paulisper illa potest, dum acerbissimi dolores (*a*) aut exorbitantes evacuationes mortis periculum inferunt, his verò diminutis, mox causæ ratio habeatur: præterea notandum, sub constanti spasticâ affectione, occlusis viis, sæpè frustrà urgeri & propelli materialem dolorum causam: tum opiata (*b*) dolorem sopiendo, simùl spasmo constrictas partes resolvunt, sicque faciliorem exitum parant. Opium purum in solidâ formâ datum, aut etiam in convenienti liquido solutum cunctis illis pomposis formulis præferri debet: adjecta enim opio numerosa acrium & aromaticorum farrago ventriculo & intestinis, jam acri veneno nimis irritatis, infestissima est.

HYOSCIAMI EXTRACTUM.

Inter anodyna præstantiora jure recensetur; alvum præterea solvit; ideo quando acres dolores sedare & simùl evacuationes acrimoniæ educendæ summè necessarias promovere volumus, ad Hyosciami Extractum, tanquam ad sacram anchoram, tutò confugere licet. Neminem latet opium quoque solvere alvum, quando spasmo constrictæ partes evacuationes supprimunt, verùm hæc efficacia aliis in casibus ipsi planè deneganda est. (*c*)

(*a*) Quæcunque doloris gratiâ, ea omnia sine periculo semper exhibentur, si juxta præscriptum exhibueris *Hippocrat. de affect. art.* 33.

(*b*) Evacuationes suppressæ, ubi id evenit à nervosarum membranarum irritatione, per ea, quæ dolorem levant, curantur rigore soluto, nam lacrymæ papaveris modo alvum, modo urinam &c. movent. *Lambsma Ventr. flux. multip. pag.* 204.

(*c*) Ego certè in artis exercitiis sæpè sæpiùs, non sine tædio, nimis veram esse opii vim occludendi alvum expertus sum, tumque, quando meis ægrorumque votis pulchrè id respondebat, ex hoc capite turbas varias natas memini, atque incommoda relicta vidi, non facili adeo negotio iterum amovenda. *Tralles us. opii.* §. 1. *p.* 145.

Digitized by Google

Nunc Hyoſciami Extracto ſeu heroico præſidio muniti facilè quoque carere poſſumus acribus purgantibus, quæ *Ill. Hoffmannus* (*a*) cum opio miſcere ſolebat, quando alvus laxanda & ſimul dolores leniendi erant. Ego ſimilibus in caſibus Extracto Hyoſciami me ſæpiſſimè mortem avertiſſe imminentem non ſine gaudio recordor: illud à granis duobus ad quatuor & ultra, ſub formâ pilularum præſcribere ſoleo, vel grana ſex in unciis quatuor aquæ ſambuci cum unciâ unâ ſyrupi papaveris albi diluo, & cochleatim, donec deſideratus obtineatur effectus, exhibeo.

BALNEA, FOMENTA, CATAPLASMATA EMOLLIENTIA.

Multùm quoque boni præſtant (cæteris remediis non neglectis *b*) relaxantia externa præſidia in ſtricturis & ſpaſmis, quibus ſtomachi & inteſtinorum fibræ laborant, relaxandis, in furiis dolorum pacandis, & metuendâ indè inflammatione avertendâ. In hunc ſcopum adhibentur balnea tepida, calore humano paulò temperatiora, ex lacte, aquâ ſimplici aut emollientium radicum, herbarum, ſeminum virtute impregnata, quibus inſedendum ab horæ quadrante ad horam integram & ultrà, ſi vires ferant: ſuum etiam ſymbolum conferre valent fomenta & cataplaſmata (*c*) ex micâ panis, floribus ſambuci, camomeli, foliis hyoſciami, papaveris hortenſis &c. lacti aut aquæ incoctis, addito dein oleo blando: calida admoveantur toti abdomini, à ſcrobiculo cordis ad pubim, donec dolor & tenſio remiſerint; renoventur tertiâ quâque horâ.

(*a*) Diſſert. de opiator. operat. ſect. xi.

(*b*) Omnia enim, quæ prodeſſe poſſunt, ſimul & ſemel adhibenda ſunt, ut levamen doloris fieri poſſit, & periculoſæ inflammationis ſequelæ caveantur. *Van Swiett. comment. tom.* 3 *pag*. 176.

(*c*) Si venter indureſcit, dolorque ejus eſt, commodiſſimum eſt, inter initia, calida cataplaſmata toti ventri imponere, & ea, quæ dolorem & rigores leniunt, aſſumere, dein ventrem ipſum liquare dato lacte & levi purgatione, niſi is jam ante, uti ſæpè fit, contenta ſpontè reddidit. Ex *Bohnio Lambſma Ventr. flux. pag*. 204.

Digitized by Google

* * * * *

Mantissæ instar addere lubet vim drasticam venenatam memoratarum plantarum corrigi, si cum saccharo, cremore tartari, amygdalis vel ovorum vitellis priùs terantur ac misceantur.

Nec desunt etiam qui resinas acres drasticas in spiritu vini dissolvunt: tum verò, solutione factâ, addi debet Syrupus aliquis: si enim absque syrupo admisto exhibeantur, tunc resinosæ particulæ, è spiritu vini præcipitatæ, in piceam tenacitatem denuò concrescunt, ac atrociora pariunt symptomata.

Digitized by Google

CLASSIS SECUNDA.

VENENORUM STUPEFACIENTIUM.

PAPAVER ſomniferum; PAPAVER calicibus capſuliſque glabris, foliis amplexicaulibus, inciſis. *Linn. ſpec. Plant.*

Hæc ſpecies habet ſemina alba vel nigra, & ſeritur in hortis, hinc à nonnullis Papaver hortenſe *appellatur.*

SEmina nullam vim narcoticam habent, ſed ex hujus Papaveris capitibus confici poſſe verum Opium, exotico virtute narcoticâ par, aut ſaltem (pro diverſâ præparandi methodo) non multùm inferius, in variis Europæ regionibus, experimentis probarunt celeberrimi viri. (*a*)

Igitur Opium Europæum intùs ſumtum eoſdem effectus habet, ac opium exoticum: aptum, inquam, eſt producere alacritatem, ſummamque lætitiam (in initio) cum pulsû pleno, celeri; dein anxietatem, nauſeam, vomitum, ſingultum, pruritum cutis intenſum, vertigines, viſûs obtenebrationem, cæcitatem, temulentiam, ſenſuum torporem, paralyſin, fatuitatem, hæmorrhagias, delirium cum furore, convulſiones,

(*a*) *Dillenius* ephem. nat. cur. cent. 9 & 10 obſ. 43.
Lindeſtolpius de venenis pag. 588.
Diſſertatio *Sproegelii* experimenta circa varia venena in vivis animalibus inſtituta continens, ſub *Halleriano* præſidio habita §. 21.
Arnot eſſ. & obſ. de medec. d'Edinbourg tom. 5 pag. 125.

Digitized by Google

epilepsiam (*a*) sudores frigidos, syncopes, soporem profundissimum (*b*), tandem universæ corporis Machinæ gelidam mortem. Cecinit olim *Ovidius.* (*c*)

Sunt quoque quæ faciant altos Medicamina somnos
Victaque lethæâ lumina nocte premant.

Etiam externè adhibitum similia symptomata concitasse observatum est.

Nec omni prorsùs culpâ vacat Papaver rhoeas; pessima enim symptomata, ab ejus usû producta vidit *Riverius.* (*d*)

Tincturam castorei inter opii antidota collocarunt nonnulli, sed, num ejus effectus in re sæpiùs urgentissimâ tardiores haud sint, ulteriùs inquirendum esse censeo.

HYOSCIAMUS vulgaris vel niger *C. B. pin.*

Passim in Belgio spontè crescit.

Hæc planta tota virulenta est, ac homines, aves, pisces, insecta flores corrodentia &c. necat.

Symptomata, quæ ex radicum, caulium, foliorum, seminum esû oriuntur, sunt vomitus, sitis, gutturis constrictio, aphonia, alvi fluxus, visûs obfuscatio, vertigo, pruritus universalis, ardor vehemens per totum corpus, tremor, dementia, risus ineptus, imaginatio quâ æger in aëre suspensus sibi videtur, epilepsia, hydrophobia, stupor, sopor lethalis.

Hyosciami succus, teste *La Serre,* (*e*) in anum ægri dysenterici injectus pessima symptomata produxit.

(*a*) Ex crebro usû syrupi diacodii in infante lethalem epilepsiam animadverti. *Hoffmann. Med. syst. tom.* 4 *part.* 3 *cap.* 1 *pag.* 13.

(*b*) Mulier assumserat pulticulam ex corticibus papaveris nigri, unà cum semine intritis, undè in profundum somnum prolapsa, in duos dies ac noctes, à somno excitari non potuit, ita ut existimarent eam nunquam posse evigilare. *Forest. lib.* 9 *obs.* 14.

(*c*) De arte amandi lib. 3.

(*d*) D. N. post usum longum aquæ papaveris rheados infatuatus est, & tandem obiit, aperto cranio, cerebri ventriculi inventi sunt à me pleni humore nigro, atramenti æmulo, summè fœtido. *Laz. Riverii oper. med. univ. pag.* 558.

(*e*) Micellan. curios. decur. 2 ann. 6.

STRAMONIUM fructu ſpinoſo, rotundo, flore albo, ſimplici. *Tourn.*

Planta apud nos hinc indè in Hortis colitur, ac tota venenata eſt.

Hujus plantæ radicum, foliorum, florum, ſeminum intùs ſumtorum indicia ſunt vertigo, oris ſiccitas, balbuties, dyſphagia ſtrangulans cum periculo ſuffocationis, aphonia, vomitus, ſtupor, anaphrodiſia, paraphroſyne & ectaſis, mania, carus, convulſiones, ſudor frigidus, mors.

BELLADONA majoribus foliis & floribus *Tourn.*

In Belgii hortis colitur.

Tota venenata eſt : multi pueri (ait *Dodoneus* a) Mechliniæ & in aliis Belgii urbibus interierunt, qui baccarum pulchritudine allecti eas devorarunt.

Symptomata, quæ obſervantur à comeſtâ per errorem Belladona ſunt ſequentia : oris ſiccitas & ardor, anhela ſitis, vomitus, alvi fluxus, hæmoptiſis, hypochondriorum tenſio, borborygmi, reſpirandi difficultas, dyſphagia, cardialgia, ſanguinis diſſolutio purulenta, ſudor, capitis dolor, rubedo univerſalis, febris, delirium, tinnitus aurium, caligo, ſtupor, ſopor gravis, gangræna, flenda mors. (*b*)

Pupillæ paralytica relaxatio aut cæcitas aliquando orta eſt à foliis recentibus oculo admotis.

(*a*) Cruydt-boeck bl. 748.

(*b*) *Schulterus* act. Phyſ. Méd. acad. N. C. vol. 6. *Item* Gazette ſalutaire de l'ann. 1766.

Digitized by Google

SOLANUM caule inermi, herbaceo, foliis ovatis, angulatis. *Linn. hort. cliff.*

In hortis inter olera crescit & circa sepimenta etiam sua sponte provenit.

Solani hujus baccæ & folia multos homines, gallinas &c. vitâ spoliarunt. (*a*)

Hæc planta, si paulo majori copiâ sumatur, eadem symptómata producit ac Belladona.

POMA AMORIS *Officin.* Solanum caule inermi, herbaceo, foliis pinnatis, incisis.

Colitur apud nos in fictilibus vasis, aut pensilibus fenestrarum hortis.

Liberalius ingurgitatum inducit amentiam, imaginationes terribiles, aphoniam, stuporem, membrorum immobilitatem, apoplexiam.

MANDRAGORAS mas *J. B.*

MANDRAGORAS femina *J. B.*

Apud nos in hortis educantur.

Has plantas comedens, earumve succum bibens afficitur stupore, amentiâ, nauseâ, universæ corporis superficiei intolerabili ardore, oris siccitate, somno altissimo, violento vomitu, alvi fluxu cum subsequentibus nonnunquam convulsionibus & morte.

(*a*) Commerc. Litter. nor. 1731. p. 372.

Digitized by Google

CICUTA major *C. B. pin.*

In pinguioribus arvis & cultis spontè provenit.

CICUTA minor petroselino similis *C. B. pin.*

Luxuriat in hortis oleraceis.

CICUTA aquatica *Gesneri.*

Locis gaudet humidis & palustribus.

Has Cicutæ species virtute narcoticâ simùl & acri hominibus aliisque animalibus mortem attulisse nos docent observationes fide dignissimæ.

Imprudenter sumptæ inducunt vertigines & caligines oculorum, vomendi conatus, totius corporis stuporem, spirandi difficultatem, mentis alienationem, somnum profundum, singultum, strangulationem, effluxum sanguinis ex auribus, oris constrictionem spasmodicam, ventriculi torsionem, ulcera, convulsiones totius corporis, ac tandem, nisi quam citissimè succurratur, misereri nesciam mortem.

Observavit *Linnæus* tornoæ pecudum luem à comestâ Cicutâ aquaticâ gesneri ortam.

Phellandrium verò, seu *Cicutaria palustris tenuifolia* B. quâ boves avidè atque impunè vescuntur, *Linnæo* teste, equis paraphlegiam adfert & mortem.

Variæ Citutæ species gratum atque innocuum pabulum sturnis præbent.

CROCUS sativus *C. B. pin.*

In multis Belgii hortis nunc colitur, ac Croco orientali substitui potest.

Florum hujus plantæ stamina immoderatè assumpta inducunt nimiam sanguinis dissolutionem & expansionem, capitis dolorem, vomitum, amentiam, cachinnos immodicos, hæmorrhagias immoderatas, stuporem, apoplexiam, ac tandem ipsum lethum. (*a*)

(*a*) De deleterio Croci effectû plura vid. apud *Zacut. Lusit.* prax. l. 3. obs. 144. *Stenzel.* de anodin. virt. ven. §. 34 . . . . *Borellum* cent. 4. obs. 35. *Zornium* in Botanolog. p. 236. sqq.

Digitized by Google

NICOTIANA major latifolia *C. B. pin.*

NICOTIANA major angustifolia *C. B. pin.*

NICOTIANA minor *C. B. pin.*

Olim Nicotiana solummodò in insulâ Tabaco, aliisque Americæ regionibus spontè nascebatur; verum anno 1560. F. De Tolledo *ejus semina, quasi venenum Europæis deficeret, in Hispaniam ac Lusitaniam misit: hodie Nicotiana in Belgio etiam passim in hortis oleraceis, agrisque sata provenit.*

Ejus folia stimulandi ac etiam stupefaciendi vim habere experientiâ satis comprobatum est. Manducata enim (inquit *Cartheuserus* a) salivam ex glandulis oris eliciunt, ac simul, si liquor nempè salivalis acribus eorum particulis impraegnatus, ad ventriculum & intestina defluit, vehementem emesin ac catharsin cum multâ nauseâ excitant, ac magnam præthereà vertiginem, temulentiam, stuporem, imo soporem producunt. Ego (ait *Ramazzini* b) non paucos novi ad marasmum deductos ob hujusmodi masticationem. (Dein aliquibus interjectis addit) Tabacum masticatum seu illius fumum per tubulum tabacarium exsuctum appetentiam obruere, ita ut longum iter illius usu possit confici sine famis molestiis & stomachi latratu, tradunt multi inter quos *Guil. Piso* qui peregrinatione per loca deserta tali masticatione usus, nec lassitudinem, nec famem sensiisse affirmat: *Helmontius* idem adstruit, aitque id fieri, non quia Nicotiana famem sedet, quasi satisfaciat defectui, sed in quantum sensus affectum tollat, simulque functionum exercitia: *Helmontio* non multum dissentit *Etmullerus* qui ait Tabacum, veluti omnia Narcotica, stuporem in spiritus inducere &c.

(*a*) Mat. Med. tom. 2. p. 511.
(*b*) De Morb. Artific. p. 117.

Digitized by Google

In ephemeridibus Germanicis (*a*) legitur casus quorundam, qui à pulvere Nicotianæ intùs sumto laborarunt anxietatibus, lipothymiis, vomitibus tam enormibus, ut capite periclitati sint omnes.

Nocivus quoque est Nicotianæ pulvis naribus adtractus; induxit enim nonnunquam vertiginem, anxietatem, paroxismum hystericum, polypum & ulcera narium, anosmiam, memoriæ debilitatem, cæcitatem, sternutationes violentas, tussim, dyspnœam, tremorem temulentum, coma somnolentum, apoplexiam, vasorum cerebri rupturam. (*b*)

Tabaci pulvis est quoque funestus lacertis, sanguisugis, limaçibus, aliisque multis.

Haud minùs noxius censeri debet ejus fumus, cujus usus sequentia non raro peperit symptomata, nempè ventriculi labem, capiplenium, cephalalgiam, vertigines, aurium tinnitus, lacrymas, oculorum rubedines, lippitudines, anxietatem, nauseam, alvi perturbationem, arthritidem, auriginem, totius corporis marasmum, pulmonum exulcerationem, convulsiones, lethargum, apoplexiam. (*c*)

Vividissimas etiam viperas brevi enecat nicotianæ fumus.

In diario medico (*d*) legitur exemplum vomitus cruenti, post horrendas convulsiones, aliaque symptomata, ab externâ nicotianæ in variis corporis partibus applicatione ad scabiem curandam, producti.

Accedo tandem ad oleum nicotianæ, quod qualitate virulentâ longé superat alio quocunque modo adhibita tabaci folia:

(*a*) Ann. 8 dec. 2 obs. 206.

(*b*) Conf. *Simon. Pauli* tract. de abus. herb. tabaci.
Ephem. german. ann. 4 dec. 2.

(*c*) Plures (ait *Cel. Tissot* de apoplex. pag. 93.) novi, de pluribus legi & audivi, qui apoplexiâ tacti, quo tempore fumum nicotianæ sugebant . . . fumiphilum, qui senuerit, non memini; luget *Debeide* eruditum medicum, quem in flore ætatis necavit nimius usus tabaci; omnesque benè intelliguntur morbi, quos post fumi suctionem & ex fumi suctione graves narrant autores; apoplexiam *Helmontius, Tulpius, Vratislavienses*, pluresque alii; epilepsiam *Ephemerides C. N.*; vitia gravissima pectoris *Deheide* & *Tulpius*; icterum *Petr. Borelli*; graves in genere morbos hepatis *Van Swietten*; arthritidem *Werlhofius*; tabem *Hallerus*; alios alii.

(*d*) Journal de med. &c. Juillet 1751.

Digitized by Google

Cel. Cartheuserus in mat. med. t. 2. p. 510. notanter hoc exprimit, ita scribens: empyreumaticum ac fœtidum hoc oleum licet sub ignis sicci torturâ notabilem mutationem perpessum fuerit, narcoticam & acrem indolem, quam antea in integrâ substantiâ gummeo-resinosâ habebat, retinet, ac tantâ virulentiâ pollet, ut, teste *Francisco Rhedi* (*a*) canibus, felibus, avibus, aliisque animalibus, si ipsis ad paucas dumtaxat guttulas exhibeatur, vel adhuc citiùs, ac certiùs si modicâ quantitate sanguini per venam apertam aut vulnus inflictum immediatè admisceatur, mortem inferat.

ACONITUM cœruleum sive NAPELLUS *Tourn.*

Apud nostrates in hortis educatur.

Huic adde omnes alias aconiti species, quæ cunctæ (excepto forsitan aconito salutifero) suspectæ sunt.

Aconiti vis tum in animalibus brutis, tum in hominibus necandis antiquitùs etiam nota & pervulgata fuit; ut ex *Ovidio* (*b*) colligere licet.

. . . . Non hospes ab hospite tutus,
Non socer à genero : fratrum quoque gratia rara est;
Imminet exitio vir conjugis, illa mariti :
Lurida terribiles miscent aconita novercæ :
Filius ante diem patrios inquirit in annos.

Signa sumti napelli sunt, intumescentia ac inflammatio labiorum, linguæ & totius faciei, angina, oculorum prominentia, facies livida, pectoris gravitas, intumescentia abdominis & nonnunquam totius corporis cum livore, nausea, vomitus, morsus & erosiones stomachi, tremor partium, pulsus parvus & intermittens, stupor paralysi non absimilis, (*c*) vertigines, delirium, frigus totius corporis, syncope, lethargus, sudor frigidus, convulsiones, ventriculi & intestinorum inflammatio, gangræna, mors, aut, si eam evaserint, febris hectica.

(*a*) Experimenta circa varias res nat. pag. 8 & 46.
(*b*) Metamorph. lib. 1.
(*c*) *Matthiol.* in *Dioscorid.* pag. 691.

Digitized by Google

Radix (inquit *Matthiolus* a) manû aliquamdiu retenta, quousque concalescat, tenentem perimit.

Tela etiam aliave armorum genera succo napelli imbuta lethalia vulnera efficiunt. (*b*) Undè *Lucanus* cecinit. (*c*)

Stridula sed multo saturantur tela veneno
Vulnera parva nocent, fatumque in sanguine summo est.

Mel ex napelli floribus ab apibus gregariis collectum vim eorum venenatam retinet.

Multi salia alcalina volatilia celebrarunt olim; verùm nunc experientiâ constat acida inter napelli æquè ac aliorum venenorum vegetabilium antidota recensenda esse.

FUNGI *Matthiol.*, *Dodon.*

Magis usitata Fungorum species unâ nocte crescit in pratis, silvis, aut fimo equino.

Inter Fungos, quibus quotidiè vescimur, haud pauci sunt venenati, quorum alii narcosin & stuporem inferunt, alii strangulant, alii ventriculum rodunt. (*d*) Quare . . . .

Vos ego mortales moneo, queis tempora cara,
Custodite animas, & nullis credite Fungis.

Fungi comesti non rarò producunt gastrodyniam gravativam & distentivam cum sensû suffocationis & strangulationis, singultum, vertigines, oscitationes, suspiria, perpetuum mejendi desiderium, virium jacturam insignem, insaniam, stuporem (*e*) somnum profundum, sitim vehementem, febrim, nauseam, vomitum, dysenteriam, choleram, tremores, convul-

(*a*) In *Dioscorid.* pag. 690.
(*b*) Venenum, quo Indi solent sua tela imbuere, iners redditur molli saccharo: si enim gallinæ, simul ac virulentum vulnus inflictum fuerit, saccharum pulverisatum intrudatur in ingluviem, nihil mali patitur. *Van Swiett. comm. t.* 1 *pag.* 579.
An verò saccharum etiam aconiti, alteriusve vegetabilis per vulnus introducti veneni antidotum sit, aliis examinandum relinquimus.
(*c*) Pharf. 8.
(*d*) Anthropolog. forens. pag. 89 -- confer. etiam --- *Lieutaud syn. univ. med. pag.* 125. *Tissot avis au peuple* §. 534.
(*e*) Medical transact. publish. by the college of phys. in London, vol. 2.

Digitized by Google

ſiones, inflammationem & excoriationem ventriculi ac inteſtinorum, ſudorem frigidum, ſyncopem, mortem.

Fungos priùs exſiccatos, dein aceto maceratos, aquâ, vino, embammate incoctos, tanquam minùs nocivos, magiſque gratos eruditi Palati nepotes commendant.

Lac, in quo Fungi venenati infuſi ſunt, Muſcis præſentaneum venenum eſt.

LAUROCERASUS *Cluſ. hiſt.*

PADUS foliis ſemper virentibus, lanceolato-ovatis *Linn. H. Cliff.*

Apud nos in hortis colitur.

Lauroceraſi aqua ſtillatitia ſuo oleo eſſentiali onuſta, aut aqua pura, cui padi baccæ vel folia impoſita ſunt, epota aut clyſmate in inteſtina ingeſta, hominibus, ovibus, canibus, gallis, columbis funeſta eſt.

Sequentia in hominibus aliiſque animalibus parit ſymptomata, nempè ſitim ingentem, vomitum, ventriculi ardorem, colicam, tremores, convulſiones, ſtuporem, aphoniam, paralyſin, lethalem ſoporem.

Huic veneno medicinam lac eſſe aſſerunt nonnulli (*a*)

Lac, in quo lauroceraſi folia incocta ſunt, non ſolùm gratum, verùm etiam ſalubre eſſe, ſcribit *illuſtr. Van Swietten.*

Illud verò noxium eſſe, ſi lauroceraſi folia majori copiâ vel nimis diù in eo coquantur vel infundantur, experientiâ conſtat. (*b*)

Non tamen indè concludendum eſt lac hujus veneni vegetabilis antidotum haud eſſe; toxicum enim nocivâ qualitate ſuâ agere perget, ſi cum antidoto ſuo tantâ copiâ miſceatur, ut hoc ab illo viribus longè ſuperetur.

Cel. Mead (*c*) multùm extollit ſpiritum ſalis armoniaci.

F

(*a*) Tranſ. phil. No. 418.
(*b*) Commerc. Norimb. 1733. pag. 201.
(*c*) Expoſit. mechan. venen. pag. 195.

Digitized by Google

Monet deniqne laudatus autor (*a*) nucleos complurium fructuum, maximè Cerasorum nigrorum, distillatione (*b*) producere aquam, sapore, odore ac vi veneratâ non dissimilem ei, quam præbent *Laurocerasi folia* & *Amygdalæ amaræ;* itaque rectiùs (ait) officinæ nostræ eâ aquâ carerent, maximè cum nulla ejus medicata vis comperta sit, soleatque dari infantibus facilè commovendis, expositisque convulsionibus, calamitati, quam ab hâc ipsâ aquâ advehi exploratum est.

CANNABIS sativa *C. B. pin.*

In locis cultis sata provenit.

Aqua, in quâ cannabis diù macerata fuit, anodina, narcotica est, &, si largiùs hauriatur, hominibus armentisque funesta.

Pisces quoque graviter lædit hæc aqua; imò anguillas in eâ degentes pro venenatis habet *Boerhaavius.*

Cannabis semina hominibus delirium, avibus verò sterilitatem & nonnunquam mortem immoderatiùs assumta inducunt.

TAXUS foliis approximatis *Linn.*

Nascitur in Arduennâ Belgii silvâ, aliisque locis.

Taxus equis, (*c*) asinis, Mulis, Bobus & id genus aliis, nec non piscibus funesta est.

Apibus quoque inimicam esse Taxum *Virgilius* (*d*) testatur his verbis;

- - - - - - - *fugiunt examina Taxos.*

Hoc venenum assumtum inducit strangulationem, stuporem, febrem, alvi profluvium dysentericum, convulsiones, celerem interitum.

(*a*) Pag. 196.

(*b*) E foliis quoque Theæ solitâ distillatione elicitur aqua stuporem, soporem & Paralysim inducere nata.

(*c*) En 1753 on s'est apperçû à Bois-le-Duc en Hollande de l'effet funeste de cet arbre sur des chevaux : il en étoit entré plusieurs dans un Verger de cette ville, ils mangèrent des branches d'If, & quatre heures après, sans aucune autre symptome que des convulsions, qui durèrent une ou deux minutes, ils tombèrent morts l'un après l'autre *Buchoz* dict. des plant. tom. 2 pag. 124.

(*d*) Ecloga IX.

Digitized by Google

Vina in vasis, é Taxi ligno factis, aliquamdiù recondita, potantibus funesta fuisse *Plinius* & *Ruellius* asserunt.

VERBASCUM foliis utrinque tomentosis, decurrentibus *Linn. fl. suec.*

Juxta vias & in fossis etiam provenit.

Verbascum pisces enecare aut temulentos reddere, sic ut manû capi possint, *Linnæus* refert.

Quando pisces à verbasco temulenti facti sunt, juvabit eos transferre in piscinam aquâ purâ semper affluente & effluente divitem.

LOLIUM *Matthiol.*

Inter Triticum & Hordeum provenit.

Symptomata Lolium intùs sumptum subsequentia sunt, vertigines, cephalalgia, stupor, temulentia, convulsiones, ulcera, somnus profundus.

Prætereà oculis nocet & visum obtenebrat; hinc cecinit *Ovidius* (*a*)

Et careant Loliis oculos vitiantibus agri.

CEREALIA SEMINA VITIATA.

Cerealia Semina Vitiata nocivum præbent alimentum, varia atque horrenda excitant symptomata, & venenatos effectus, tum in hominibus, tum in aliis animalibus, non raro exeruerunt.

Symptomata ab illorum seminum usû producta diversam curandi rationem postulant; ne tamen prolixius emergat opus, satiùs erit eam hoc loco non tradere: verùm plura de seminibus cerealibus vitiatis & symptomatibus ab eorum usû productis, remediisque adhibendis vid. apud *ill. Tissotum* in epistolâ viro cel. eruditissimo *Baker*, quæ in philosophicis transactionibus (vol. 55.) reperitur.

(*a*) Fastor. Lib. 1.

ANTIDOTA VENENORUM
CLASSIS SECUNDÆ.

VENÆ-SECTIO & ARTERIOTOMIA.

UT, quantum possibile est, hic opem ferant, eo annitendum Medicis est, ut sanguinis orgasmum ad caput præpediant, cui scopo obtinendo perquam opportunum fore arbitror, ut tempestiva phlebotomia, convenientibus remediis adjuta, instituatur, ac etiam, si pulsus plenus celerque maneat, repetatur: tanto magis (inquit *Cel. Tralles* a) necessaria erit iis, qui ante assumtionem jam habebant vasa sanguine fervido admodum turgida. In his certè valdè necessarium erit vomitorio indicato venæ-sectionem præmittere, quia illud ad gravatum jam congesto cruore cerebrum cum violentâ corporis succussione, cum præsentaneo damno magis determinaret, ut alioquin semper periti Medici faciunt, quando ægris sanguine plenis emesin necessariam securè ciere satagunt.

Revulsionem saluberrimam movere potest arteriotomia, vel etiam sectio venæ jugularis (*b*) quæ jam ferè abierunt in de-

(*a*) Usus Opii &c. §. 4 pag. 235.

(*b*) Laudaverunt Medici inprimis sanguinis missionem ex jugularibus venis, quia immediatè sic vasa encephali deplentur, his venis apertis: verùm, ut illæ venæ pertundi possint, solent chirurgi fasciâ collum stringere, ut magis in conspectum veniant, & certiùs lanceolâ secari possint. Illo autem tempore, dum hoc fit, si magna plenitudo est in vasis encephali, periculum rupturæ adest, & ideo etiam §. 1010. 3. inter causas apoplexiæ numerata compressio harum venarum: hinc videtur tutius esse, ut prius depletis utcunque vasis per sanguinis missionem, in brachio aut pede institutam, postea & secentur jugulares, si repetitâ sanguinis missione opus fuerit. *Van Swiett. comment. t. 3. p.* 305.

Digitized by Google

suetudinem: magnam opem sæpè quoque præstant hirudines temporibus, ano &c. impositæ: nec suâ utilitate caret scarificatio, quæ in variis partibus, præcipuè in occipite ad finem suturæ lamboideæ administratur: verùm cautionem addit laudatus modo vir; phlebotomia (inquit *a*) tamdiù locum habet, quamdiù pulsus est plenus & fortis & celer, non æquè quando increscente encephali pressione jam languet, debilisque micat, atque frigescente corpore mors ante fores est.

VOMITORIA.

Inter optima venenorum vegetabilium stupefacientium antidota jure recensetur emeticum: sed vomitoria vehementia sint oportet, dummodò stomachi vires ferant, & funesta ventriculi inflammatio, vel saltem irritatio nimia jam ipsi non accesserit: haud etiam satis est semel vomitum provocare, sed tamdiù is continuandus est, donec omne venenum ex ventriculo pulsum sit: docent fidæ observationes non rarò evenire, ut hoc solo præsidio exulet prædictus hostis. Solius emetici ope rusticus & filia, postquam hyosciami radicem pro pastinacâ assumserant, à profundo sopore & mortis periculo liberati leguntur apud *Bonetum* (*b*): vidit *Boerhaavius* (*c*) octo pueros qui devoraverant cicutam, angebantur, delirabant, vomituriebant, convellebantur omnes, propinavit vitriolum album, servati sunt omnes qui vomuerunt. Præclara igitur munera hic obeunt vitriolum album, tartarus emeticus, ipecacuanha (*d*) à *cel. Tissoto*

(*a*) Usus Opii &c. §. 4. pag. 234.
(*b*) Tom. 1 lib. 1 sect. 3 obs. 4 app. pag. 172.
(*c*) Prælect. §. 1138.
(*d*) Juvat hic recensere quæ scribit *Harris in Dissert. Med. & Chir. p.* 31. Nunc passim (ait) venditur & usurpatur pro verâ *Ipecacuanhâ Brasiliense* venenata quædam radix, vel *Radix apocyni*, quæ importatur à Jamaicâ, Portobello & Virginiâ, & quæ formâ suâ, magnitudine & colore veram nimis repræsentat. Quandoquidem vera Ipecacuanha fat leniter vomitum movet cum euphoriâ & levamine, falsa & venenata, ut alia quædam venena lethalia, immodicè sursùm ac deorsùm movet, sæpè ad vires omnes penitùs exhauriendas, & plures, ut audio, ex hâc causâ subitò interierunt. Cæterum modus eas radices integras distinguendi (nam in pulvere distingui nequeunt) est potissimùm in radice confractâ perspiciendâ, per cujus meditullium scilicet exporrigitur vel protenditur filamentum vel fibra in verâ ac tutâ Ipecacuanhâ albidi aut cineritii coloris, in spuriâ ac venenatâ filamentum coloris fulvi: & quæ distinctio subdifficilis compositores medicamentorum vulgares adhuc plerunque latet.

Digitized by Google

non immeritò deprædicata : nec inanem operam ludunt alia vomitoria, ceu oxymel scilliticum, asari folia, raphani majoris oblongi semina &c. His enim in casibus festinandum est, nullàque interpositâ morâ quæ ad manum sunt adhibenda, ne nimiâ cunctatione ægrotantium res in pejus ruant : nec minùs confert diluens potus ab initio quoque veneni assumti & post singulos quosque vomituum paroxismos affatim haustus; aqua nempè tepida sola, aut subsalsa. Sollicitari quoque potest vomitus pennâ intra æsophagum adactâ.

Gravius verò negotium facessere spasmo aut paralysi impeditam deglutitionem expertum neminem latet; hinc nihil non movendum ut quâvis arte huic infortunio occurratur : constat fidis observationibus cataplasmata ex foliis tabaci (*a*) extrinsecùs regioni ventriculi admota vomitum excitasse; possemus similia etiam collo applicare, quo etiam irrito præsidio magni *Boerhaavii* consilium incunctanter exsecutioni mandandum erit: quando (scribit *b*) homines à sumto narcotico ita convulsi sunt, ut nihil deglutiant, debet præsto esse canalis metallicus, (*c*) flexilis, qui supra linguam ad membranam, quæ vertebras anterior succingit, hinc in ventriculum detrudatur : per eum medicamenta injicere oportet. Quam primùm vomuerunt, solent sensim ad se ipsos redire, nam malum in ventriculo est, etsi phænomena videantur capitis morbum indicare.

PURGANTIA.

Ut excessus quantitatis vel velocitatis sanguinis in encephalo diminuatur, ea quæ deorsùm evacuant quoque in usum vocanda sunt : haud rara enim practicis occurrunt exempla alvum siccam segnemque capitis affectus tum excitasse tum etiam exacerbasse (*d*) & è contrario ex observatis constat saluberrimum quandoque fuisse copiosum alvi profluvium; hinc patet

(*a*) Essais & Obs. de Medec. d'Edinbourg t. 2. p. 52.
Lambsma ventr. flux. p. 214.

(*b*) Prælect. §. 1138.

(*c*) Novam cannulam huic usui optimè inservientem excogitavit, & in diario Medico, Chirurgico &c. tom. 31. pag. 431. descripsit, delineavitque Doctissimus Chirurgus Parisiensis *De Beauve*.

(*d*) Alvus stricta semper exacerbat capitis morbos. *Baglivius* p. 75.

Digitized by Google

cur prosint Purgantia, quæ non solùm ea, quæ jam ex ventriculo ad intestina transiverunt per guttur inferius proscribunt, verùm etiam humorum copiam & impetum versus inferiora revellunt. (*a*)

Certis tamen cancellis cohiberi debet evacuatio alvina, ne vires, ad morbi solutionem admodum necessariæ, nimiùm dejiciantur.

CLYSMATA.

Cum in hac curatione eo semper enitendum sit, ut primæ viæ liberæ serventur, his ipsis auxiliis protinùs jungantur Clysmata stimulantia è vino scilicet emetico, colocynthide, euphorbio &c. parata; quæ alvum evacuare, genus nervosum potenter stimulare, nervorum torporem excutere, & saluberrimam à capite revulsionem movere queunt. Hâc in re consentientem nobis habemus *cel. Heisterum* (*b*) qui clysteres acres excitandi gratiâ prædicat. Hi magis adhuc necessarii erunt, si deglutiendi potentiam prorsùs amiserit æger.

ACIDA.

Eo collimandum non solùm est, ut ingestum venenum ex ventriculo & intestinis pellatur emeticis, purgantibus, clysmatibus, sanguinisque impetus à capite avertetur phlebotomiis, epispasticis, variis corporis partibus applicatis; verùm etiam omni curâ adlaborandum est, ut venenorum vis narcotica infringatur, pessimique effectus indè producti tollantur.

Inter varia à gravibus autoribus ad hunc usum decantata præsidia aliis omnibus palmam præripiunt acida ex minerali aut vegetabili regno deprompta; hoc ipsum probè cognoverunt practici celeberrimi *Sennertus* (*c*) *Hoffmannus* (*d*) *Boerhaavius* (*e*) aliique: ita quidem summorum virorum experientiâ usus hic nititur.

(*a*) Dum, liquidis per alvum ruentibus, abdominalium viscerum vasa deplentur, sicque sanguini impulso minùs resistunt, potens revulsio à superioribus partibus fit. *Van Swiett. comment. tom.* 3 *pag.* 285.

(*b*) Compend. med. pag. 443.

(*c*) Med. pr. L. 6 pag. 299.

(*d*) Diss. de opiator. oper. §. 19.

(*e*) De morb. Nervor. pag. 449.

De Citri ſucco, præſtantiſſimo antidoto, quondam *Virgilius* (*a*) cecinit.

> \- - - - - - *quo non præſentius ullum*
> *(Pocula ſiquando ſævæ infecere Novercæ,*
> *Miſcueruntque herbas, & non innoxia verba)*
> *Auxilium venit, ac membris agit atra venena.*

Opportunè igitur præſcribuntur acida mineralia, ad gratam aciditatem convenienti vehiculo inſtillata, aut etiam vegetabilia acida varia, inter quæ tamen primatum ſanè ducit acetum, præſertim purum, ſubtile & ex vino generoſo enatum, quod omnium aliorum acidorum vices explere, multorum experientiâ edocti aſſerere minimè dubitamus; ſanguinis enim & reliquorum humorum orgaſticam commotionem potenter ſiſtit, ſudores ſæpè admodum (teſtante *cel. Geoffroy*) ſalutares movet, & ſolida blandis ſtimulis ad vegetiorem contractionem excitat hauſtum & etiam extrinſecùs ori naribusque admotum Acetum. (*b*)

Avibus etiam opitulantur memorata acida.

STIMULANTIA EXTERNA.

Haud exiguam laudem merentur acria varia, ſtimulandi, derivandi aut revellendi fine extrinſecùs corpori applicata; traditur plures à venenis ſtupefacientibus ſopitos, convulſos, deliros, veſicatoriis, ſinapiſmis, epiſpaſticis Medicamentis cervici aut plantis pedum admotis, uſtionibus, ſcarificationibus, punctionibus, frictionibus dolorificis illicò perſanatos fuiſſe. (*c*)

(*a*) Georg. lib. 2.

(*b*) Quando acetum, quod aliquâ omninò annotatione dignum cenſeo, aquæ parcâ manû additur, notabile corpori refrigerium adfert; ſin eidem autem quantitate majori admiſceatur, contrarium planè effectum edit & calorem ſanguinis intendit, fortemque perſæpè ſudorem movet, undè multùm intereſt, ut ſemper pro ſcopi diverſitate juſta inter liquidum utrumque proportio obſervetur &c. *Cartheuſer Mat. Med. tom.* 1. *pag.* 423.

(*c*) *Geoffroy* Mat. Med. tom. 2. pag. 702.
Thomſon Diſſ. de Opio pag. 129.

Digitized by Google

Notare tamen expedit cautiùs applicanda eſſe Medicamenta epiſpaſtica illis, qui temperamento plethorico, mobili, irritabili prædití ſunt: cum autem (ait *ill. Van Swietten* (*a*) omnia hæc inſignem acrimoniam habeant, & irritando partem, cui applicantur, ſæpè motum ſanguinis in toto corpore augeant (quod tamen repugnat indicationi in hoc caſû) ideò in illorum uſû majori cautelâ ſemper opus erit.

Stuporem chronicum, poſt aſſumta venena ſtupefacientia manentem, integrè ſanat ſetaceum nuchæ impoſitum.

NB. Si venena ſtupefacientia ſimùl valdè acria ſint, parteſque internas muco ſuo integrè ſpoliarint aut exulcerarint, remedia demulcentia & incraſſantia, in primâ claſſe (*b*) deſcripta, in uſum quoque vocanda erunt.

(*a*) Comment. tom. 1. pag. 677.
(*b*) Pag. 29

CLASSIS TERTIA

VENENORUM GLUTINOSORUM, TENACIUM.

VIri celeberrimi vegetabilibus venenis quoque annumerarunt *Semina Pſylli*, *Lini* (*a*), *Gluten aucuparium* ex agrifolio, viſco quercino confectum, aliaque ſimilia tenaciſſimo ac indomabili glutine prædita.

Effectus illorum immodicè ſumtorum ſunt qui ſequuntur, appetitus proſtratus, repletionis ſenſus, nauſea, vomitus, bilis inertia, ſaliva lenta, urina pallida, alvus tarda, abdomen tumidum, leucophlegmatia, paralyſis, dyſpnoea, maraſmus, lethargus.

Conveniunt hic vomitoria, purgantia & enemata diluentia ſalina, reſolventia ſaponacea, bilioſa, amara, frictiones abdominis.

CYNOSBATI SPONGIA *offic.*

Cynosbati ſpongia tuberculum eſt molle, hirſutum, villoſum, inſectorumque hibernaculum, quod aquâ madefactum ſpongiæ inſtar intumeſcit, ac in roſæ ſilveſtris ramis naſcitur.

Hâc ſpongiolâ cibo adjectâ clanculùm canibus vitam eripiunt malefici.

Protinùs allaborandum, ut vomitus concitetur; in quem finem nonnunquam haud fruſtrà gramen, caninum dictum, præbetur canibus devorandum.

(*a*) Cum Middelburgi in Zelandia, propter frumenti aliarumque frugum inopiam, civium plerique pane & libis ex ſemine lini coctis veſcebantur, diſtenta his valdè citò hypochondria fuerunt, & facies aliæque partes tumidæ factæ, quorum non pauci ſic affecti etiam mortui ſunt. *Dodonæi ſtirp. hiſtor. pag.* 534.

Digitized by Google

CLASSIS QUARTA

VENENORUM OLEOSORUM.

OLEA VEGETABILIA RECENS EXPRESSA.

VEnenorum vegetabilium, insectis præsertim dicatorum, ordinem ingrediuntur Olea varia.

Assumtum Oleum interimit vermes in hominum cæterorumque animalium intestinis stabulantes.

Gutta una Olei, si applicetur caudæ erucæ, eam sæpè subitò necat.

Olea quoque innumera alia insecta vitâ privare nata sunt.

OLEA RANCIDA.

Olea vegetabilia expressa, etiam blandissima, vetustate rancida facta venenata evadunt, linguam, fauces adurunt, anginam, nauseam, ructus acidos molestissimos, cardialgiam, dysenteriam, febrem inflammatoriam, gangrænam pariunt.

Acrimoniam rancidam alcalinæ indolis esse credunt nonnulli, verùm in gravi errore versantur: per indubia enim experimenta omninò contrarium salem reperiri & potiùs acidum (*a*) in oleo rancido hospitari confirmatur.

Perspectâ igitur acrimoniæ naturâ, antidota hic ex ant-acidorum familiâ petenda esse liquet: olea enim rancida, si cum ant-acidis misceantur, mitissima fierioleariis nimis notum est; Haud immeritò deprædicantur ovorum putamina, corallia, la-

(*a*) Memoire de l'Acad. royal. de Chirurg. tom. 1. pag. 139.

pilli cancrorum fluviatilium, oſtracodermata, magneſia alba, ſapo venetus &c. Intereà propinari ſolent diluentia & demulcentia: magni quoque momenti eſt, ut alvus ſervetur libera.

Semina oleoſa veteraſcentia rancida eadem antidota poſtulant.

OLEA EMPYREUMATICA.

Olea nonnulla empyreumatica ex partibus vegetabilibus ignis vi prolicita in venenorum numero collocanda quoque ſunt.

Acrimonià ſuâ (*a*) talia ſymptomata inducere valent, qualia ab oleis rancidis producuntur: nocent etiam non raro fœtore ſummo.

Si olea empyreumatica intùs fuerint ſumta, ſummum præſtabunt auxilium ant-acida, diluentia, demulcentia & evacuantia remedia de quibus egi.

OLEA STILLATITIA, ESSENTIALIA VULGO DICTA.

Tranſeo ad olea odore fragranti, ſapore acri prædita, in vini alcohole diſſolubilia, aquæ per ſe non miſcibilia, eſſentialia vulgò dicta.

Horum nonnulla partes animales, quas tangunt, vi venenatâ deſtruunt: acrimoniam oſtendunt(ſcribit *Boerhaavius* b) dum nudatis per vulnera Membranis, & Nervis applicata dolorem acutum ſatis manifeſtant. Calefacientem illorum vim diſcimus indè, quod aſſumta intùs excitent majorem ferè fervorem, quam ulla alia corpora ſimplicia, ita quidem largior horum uſus febres ardentes creat, continuatque, tandemque has aucto & continuato uſû in quemcumque gradum æſtûs & violentiæ exaltat ad extremum uſque. Quando autem cuti ſani hominis extrinſecùs applicantur ſic, ut indè extrorsùm repelli nequeant, tum calorem, ardorem, dolorem, rubedinem, ſplendorem, pulſationem, veſicularum in epidermide elevatio-

(*a*) Ex Oleo, pinguedine, lardo aliiſque ſimilibus, ut piſcibus vehementiam ignis paſſis ſeu frixis extricatur acidum quoddam volatile, ſaporis urentis, maximè ſi fumum camini exceperint, cum odore ingrato empyreumatico. *Deſauvages nos. meth. tom.* 2. *pag.* 415.

(*b*) Chem. tom. 2. proc. 23.

nem faciunt, quin etiam nimiâ tandem actione ipsam gangrænam. Hinc apertum Medicis, quantam certè vim afferant hâc inflammante potestate, quoties imprudenter visceribus ingesta, ibi quoque applicata membranis, similes phlogoses topicas producunt.

Præmissâ venæsectione, si plethora, orgasmus, febris, inflammatio, eam postulaverint, inter efficaciora præsidia numerari debent diluentia, demulcentia, nec non saponacea acida aut acescentia, quorum beneficio oleosa tenacitas dividi, oleum æthereum aquosis misceri, urens illius virtus temperari (*a*) corporisque calor nimius diminui potest.

Saponaceorum acidorum vires obtinent saccharum, Mel, syrupi &c. *ill. Baro Van Swietten* summis quoque laudibus extollit decoctum avenæ cum oxymelle simplici, rob sambuci, ribesiorum, syrupo è succo citri &c.: in illis enim (inquit *b*) diluens aqua adest, unà cum saponaceâ detergente vi & grato acido, simulque molle avenæ gluten prodest obvolvendo omnem acrimoniam.

Nec pro re natâ inutilem opem præstant alcohol vini (*c*) spiritus nitri dulcis, liquor anodinus mineralis *Hoffmanni.* (*d*)

(*a*) Si enim acerrimum illud Oleum cinnamomi, quod vivi ignis instar urit, cum saccharo tritum aquæ misceatur, poterit pro lubitù sic dilui, ut tandem iners fiat. *Van Swiett. comm. tom.* 2. *pag.* 131.

(*b*) L. cit. p. 132.

(*c*) Non immutat quidem hoc additamentum spirituosum olei indolem atque virtutem, valdè nihilosecius utramque debilitat. *Cartheuser Pharm. p.* 213.

(*d*) Genuina Olea ætherea in spiritibus memoratis tenerrimè ac promptè dissolvuntur. *Cartheuser Pharm. p.* 158. 215.

Digitized by Google

CLASSIS QUINTA

VENENORUM ALCALINORUM.

AD plantas quoque pertinent ſalia alcalina fixa artificialia, lixivioſa etiam dicta, ex tartaro, vini fæcibus, aliiſve vegetabilibus combuſtione parata;

Dein ſpiritus alcalini, ac ſalia alcalina volatilia, etiam urinoſa vocata, ex vegetabilibus putrefactione aut igne producta.

Salia illa vi venenatâ, rodente, cauſticâ, inflammante &c. partes corporis animalis, quibus applicantur, deſtruunt, prout etiam *Boerhaavius* (*a*) optimè adnotavit. Si cuti humectæ, ſanæ ſal vegetantium alcalinus fixus applicatur, ita ut non maneat affixus loco, atque extrinſecùs tegitur, ne decidat: tum brevi ſolutus à naturali humore corporis ſemper tranſſudante, atque agitatus calore illo, qui ſano homini ineſt, facit pruritum, calorem, rubedinem, dolorem ut ab igne, tenſionem reſplendentem, inflammationem veram, gangrænoſam, duram, nigram eſcharam in ima corporis uſque ita, ut verè agat in partes ſolidas humani corporis inſtar ignis.

Quando ſalia alcalina volatilia in manum calentem infunduntur, ſtatim in aëra aufugiunt, manumque penè illæſam relinquunt: ſi verò tenaci emplaſtro retineantur, tunc manus partem, cui applicata ſunt, inflammant, comburunt, ac brevi in nigrum carbunculum elevant, humoreſque contentos in ſanioſum liquamen convertunt.

Verùm multò pejora ac brevi lethalia ſymptomata timenda erunt, ſi ſalia illa, pharmacopœorum ignorantiâ, aut fraudu-

(*a*) Chem. tom. 2. Proc. 12.

Digitized by Google

lentiâ malevolorum, justo majori dosi exhibita, ad ventriculum & intestina jam transierint; producent enim intolerabilem linguæ, faucium, ventriculi, intestinorum ardorem, sitim vehementem, atrocissimos dolores cardialgicos, colicos, nauseam, singultum, hypercatharsin, respirationem anxiam, lipothymiam, inflammationem, erosionem, gangrænam, sphacelum ventriculi & intestinorum.

Etiam scitur, (ita ratiocinatur *immortalis Boerhaavius* a) alcalinos fixos sales humoribus nostris permistos, eosdem statim reddere acres, alcalinos, mobilissimos, volatiliores ipsâ aquâ nostrâ, ipsis nostris spiritibus, igneamque ipsis rodendi facultatem impertiri, inque putredinis naturam convertere quam subitissimè.

Diluentia, acida, oleosa blanda, Antidota sunt.

Aqua pura, tepida aut calida, salia quæcunque solvit, diluit, enervat, & per varias corporis vias educit; hinc omnium salium maximè generale antidotum rectè censetur: hujus præstantia in venenis salinis diluendis & enervandis confirmatur exemplo servi, ex amore Melancholici, non modicam Mercurii sublimati corrosivi sumentis quantitatem, & solâ aquâ tepidâ affatim haustâ ac ad modum enematis injectâ, curati. (*b*)

Ast nostro in casû, longè efficaciora sunt acida vegetabilia aut mineralia diluenti aquæ addita, quæ vim quoque alcalini stimuli qualitate suâ potenter invertunt. (*c*)

Summa tamen cautio requiritur in horum administratione, nam œsophagus, ventriculus, intestina naturali muco privata ac exulcerata leviorem stimulum ab acidis aut salibus neutris, etiam blandioribus, ægrè ferunt, undè quidam in hoc casû olea recens pressa sola vel cum acidis mista præscribunt, quibus salia obtundantur, erosæ œsophagi, ventriculi & intestinorum tunicæ investiantur & contra salinos stimulos muniantur. Oleis recens pressis ingestis, aëris elastici generatio, à salium Oppositorum Effervescentiâ producta multùm quo-

(*a*) Chem. tom. 2. proc. 96.

(*b*) *Sydenham* Epist. prim. responsor.

(*c*) Ex alcali & acido acerrimis causticis, solâ miscelâ proportionali statim enascitur sal neuter, blandus, frigefaciens, nullo modo rodens. *Boerh. Chem. tom. 2. proc.* 136.

Digitized by Google

que diminuitur: quando igitur similes conditiones adsunt, altâ semper mente tenendum est monitum *Ill. Trallesii.* Quodsi vero (scribit *a*) etiam merum rodens alcali subsit, acido sufficienter ingesto omninò superandum, multo judicio practico ponderandum erit, an illud hujus occursû sit superabile, antequam smegmate omni mucoso, quod villosam tunicam obducit, stricturis & excretionibus excusso, detractâ quasi suâ veste naturali, hæc denudata injuriis cujusvis acrimoniæ in villos suos nervosos acturæ sit exposita. Hi nimirum tum tegmine suo orbi, stimulum quemvis acutiùs sentientes, non ab alcalinâ tantùm acrimoniâ crispantur, sed ab acido etiam quantumvis blandiore æque vellicantur, imò verò, si ab utriusque concursû alius naturæ sal emergeret, non minùs ejus irritantibus puncturis malè adficerentur: hæc si fortè lecturorum aliquibus nimis scrupulosa videatur cautio, operæ pretium erit perpendere summam in hominibus benè multis, ut hypochondriacis & hystericis, ventriculi & intestinorum delicatulam irritabilitatem & mobilitatem, quibus adeò, dum nondum ægrotant, succus citri & acetum non sunt adiaphora; sed tales quam maximè intestinorum morbis subjacent, iisdemque graviùs affliguntur . . . . . . hoc in casû primatum sanè ducit blandissimum acidum blandissimo oleo involutum in ebutyrato lacte, quod si ullum aliud remedium acrimoniæ alcalinæ invertendæ & obtundendæ convenientissimum hic habeo, ejus egregiam virtutem in aliis ab hâc causâ morbis sæpiusculè edoctus. Atque hoc acidum benignum natans in pinguedine lactis multùm præfero aceti acido, per mel admistum mitificato.

Sceleratos homines fuisse refert *Boerhaavius* (*b*) qui, ut occultò occiderent, miseris clysteres ex oleo caustico salis tartari injecerunt. Illis opitulantur enemata ex memoratis remediis acidis & demulcentibus sæpiùs injecta.

Verùm, si quis incautus salem alcalinum volatilem in vapores redactum inspiraverit, pessima symptomata sæpè oriuntur; narium nempè, oris, faucium, asperæ arteriæ, pulmonum erosio, inflammatio, gangræna; hæmoptisis, suffocatio.

(*a*) Hist. Choler. pag. 296.
(*b*) Prælect. Acad. §. 1140.

Sub hoc caſû urgentiſſimo, nullâ interpoſitâ morâ, in aërem purum devehatur æger, ori naribuſque admoveatur acetum, vel aliud, quod primò ad manus eſt, blandum acidum, ut ejus vapor, nares, os, fauces, aſperam arteriam, pulmones continuò alluens ſalis alcalini ſtimulum infringat, funeſtoſque effectus indè expectandos avertat.

Venæ-ſectio hic etiam proficua nonnunquam cenſetur.

Qui operationibus chemicis operam dant nocivis illis halitibus aliquandò exponuntur : commoda ſunt in hanc rem lintea ralla, aceto diſtillato madentia, ori naribuſque ita applicata, ut nullus aër hauriatur, niſi per lintea prædicta priùs tranſierit. Convenit etiam faciem, quantùm poſſibile eſt, à nocivis halitibus avertere, nec non, ad auram liberiorem captandam, laboratorio chemico interdum exire, vel vaſa in loco ventis obnoxio ita diſponere, ut funeſtiſſimi vapores ab aſtantibus longiſſimè repellantur.

CLASSIS SEXTA

VENENORUM SPECIE HALITUS, FUMI &c. PERIMENTIUM.

L*Igni igniti* & ſubitò ſuffocati, vel *Carbonum accenſorum* in loco clauſo vapores hominibus cæteriſque animalibus funeſtos eſſe triſtiſſimis exemplis conſtat.

Singula ferè hiems nobis luctuoſiſſimos ſuppeditat caſus pauperûm, qui, dum in humili caſâ accenſis carbonibus ſeſe contra acre frigus defendunt, ab horum fumo vel necantur, vel peſſimis corripiuntur ſymptomatibus.

Sic fumus Lucernæ ex oleo nucûm, clauſo in cubiculo extinctæ, aliquando autor funeris fuit.

Ab his vaporibus naſcuntur ophthalmiæ, vertigines, capitis dolores, præcordiorum anxietates, nauſea, vomitus, tuſſes, ſtupores, deliria, tremores, convulſiones, epilepſia, apoplexia, animi deliquium &c.

Aëri frigido, puro quantociùs exponatur æger; facies aquâ frigidâ perfundatur (*a*); aceti vapor naribus excipiatur; poſca calida propinetur; mox brachii, nonnunquam etiam juguli vena ſecanda; crura in aquam calidam immergenda, ac ritè perfricanda; oxycratum cum nitro affatim hauriendum; languente aut deficiente pulſû ſal volatile anglicum, ſpiritus ſalis armoniaci &c. ori naribuſque admovenda.

Hiſce interponenda ſunt enemata acriora.

Plures fauſto beavit eventû aër, compreſſis ægri naribus, per os vi inſufflatus, ut pulmones dilatentur.

(*a*) Traditur aliquos ex orci faucibus ereptos fuiſſe præſidio aëris frigidi, aquæ frigidiſſimæ aut glaciëi corpori extrinſecùs admotæ ac in os intruſæ. v. . . *Le Journal de med. &c. Mai* 1767 *& Octobre* 1769.

Digitized by Google

Quoddam insuper ferre potest auxilium liquor anodinus mineralis *Hoffmanni*; cum spasmodicas contractiones hic quoque adesse constet.

Ab aliquibus laudatur emeticum; sed illud maximè reformidandum esse asserere non dubitamus; nausea enim hic non à ventriculo onusto, verùm à cerebro malè affecto dependet. Aptiora sunt, simùl ac deglutire possunt, leniora purgantia; pluribus profuit aqua laxativa viennensis aliquoties data.

Neque inutilem opem conferre videntur lata vesicantia, variis corporis partibus admota.

Porrò ad vires restaurandas, torporem tollendum, appetitum prostratum restituendum plurimùm deprædicatur ex aquæ fontis libris tribus, vini librâ unâ, limoniorum succi unciis tribus, sacchari unciis duabus confecta potio, cujus unciæ duæ pluries in die cum crustæ panis frusto propinantur.

Aliqui salem marinum in carbones ardentes inspergunt, ut noxas ab eorum vaporibus timendas avertant; verùm infido huic adminiculo haud nimiùm fidendum est.

Pistores, quorum magnam sæpè prunarum copiam continent caveæ, aliquando, dum in eas incauti descendunt, subitò pereunt: ut hæc damna avertantur, juvat candelam accensam, perticæ alligatam, lentè in caveam demittere (*a*): si flamma ritè vigeat, sine periculo intrare poterunt; si verò langueat, aut, quod pejus est, exstinguatur, tum priùs renovandus erit aër, aperto caveæ spiraculo, straminis lignive fasciculos aliquot ante portam caveæ patentem incendendo: hoc enim artificio venenati vapores educuntur, & in eorum locum succedit novus aër flammam vitamque alere aptus.

Aëris renovationi quoque inservire possunt ventilans machina in navibus nosocomiisque usitata, tormentum missile &c.

Notare demùm expedit plures vivos pro mortuis habitos, &, antequam fata poscerent, sepulchro redditos fuisse; proindè tamdiù serventur insepulti, donec putrefactio, hic unicum certum mortis signum, jam adsit.

(*a*) Alii vero canem, felem &c. priùs intrare jubent, ne dubio aëri propriam salutem committant.

Digitized by Google

VINI, CEREVISIÆ, ALTERIUSVE LIQUIDI FERMENTANTIS HALITUS.

Ex Plantis earumve ſuccis funeſtiſſima conficiuntur venena, inter quæ primum ſibi locum vindicat vini, cereviſiæ, pomati, pyrati, alteriuſve liquidi fermentantis halitus. (*a*)

Neque enim (ait *Boerhaavius* b) hactenùs ullum venenum adeò celere, adeò lethale, adeò ſubtile repertum memini: ſi enim capaciſſimum dolium plenum optimo fermentabili muſto, in ſummo vigore ebullitionis, ſpiramento parvo in ſuperiore parte emiſerit hunc denſatum viæ anguſtiâ ſpiritum, atque robuſtiſſimus hominum uno hauſtû per nares halitum hunc attraxerit, ipſo quidem illo momento, ſine ullo morbo cadit mortuus: ſi verò parum ejuſdem ita ceperit, apoplecticus labitur: ſin minus iterùm hauſerit, tum fatuus totâ vitâ, ſenſû communi ablato, vivit & vitæ neſcius ipſe ſuæ, aut paralyticus fit. Hinc & eadem eveniunt iis, qui imprudentes verſantur in cellis vinariis, ubi fermentantur vina vindemiarum tempore, ſi clauſæ ſint: quare apertis feneſtris, igne accenſo, ventique admiſſû loca illa luſtrare coguntur.

Qui venenatis illis halitibus affecti mortuorum inſtar jacent, ubi primùm ſine periculo id fieri poteſt, extrahendi ſunt, adhibendaque varia remedia, quibus occurritur infortunio orto à carbonûm accenſorum, in loco clauſo, vapore.

PLANTARUM, SEMINUM &c. HALITUS NOCIVI.

Peſtis in angliâ dicitur orta à fœtore *Cannabis* corruptæ. (*c*)

Lini in aquâ Macerati effluvia induxerunt morbum malignum, ex quo familia mortua eſt, nec non totus pagus infectus. (*d*)

(*a*) Vid. triſtiſſima exempla apud *Pet. Borellum*, Cent. 2. Obſ. IV. pag. 107.
(b) Chem. tom. 2. Proc. 42.
(*c*) *Boerhaav.* Hiſt. Plant. pag. 575.
(*d*) *Detharting* de pulv. Bezoard. pag. 9. 10.
Vid. etiam *Neuhold* nov. act. Phyſ. Med. Acad. N. C. vol. 3.
Item *Ritter* Acad. N. C. vol. 10.

Digitized by Google

Ab exhalationibus *Ranunculorum* hortenſium anxietates, lipothymiæ, capitis dolor, epilepſia. (*a*)

Floreſcentibus *Napis* indormientes nonnunquam convulſionibus corripiuntur.

Attonitos & catalepticos evaſiſſe nonnullos, qui odorem ingratiſſimum ex *Dracontii* ſpathâ apertâ prodeuntem naribus hauſerant, legitur in *Linnæi hort. Cliff.*

Folia *Juglandis* arboris hominibus ſub umbrâ eorum paulo diutiùs conſidentibus ſomnolentiam, temulentum atque vertiginoſum capitis dolorem, febrem ſynochum exhalationibus ſuis inducunt, &, affirmante *Linnæo*, alvum quoque ſiſtunt.

Effluvia *Hyoſciami* Seminum, nec non fumus eorum in igniarium vel laminam ferream ignitam projectorum, ſtuporem atque dementiam aliquando produxerunt; ſic à ſolo vapore *Boerhaavius* cum amico temulentus factus eſt, dum emplaſtrum de *Hyoſciamo* pararent.

Qui labore feſſi, ſomnoque gravati, *fœno* recens congeſto incumbunt, non rarò ebrietate, cephalalgiâ, lethargo afficiuntur, aut ſuffocati pereunt.

Florum *ſambuci* effluvia ſynochum inducere *Linnæus* monet.

Refert *Boerhaavius* hortulanum, qui *cicutam* præcidebat, vertiginem paſſum fuiſſe.

Cel. Tralles (*b*) vidit uxorem aromàtarii, quæ in conclavi parvulo calefacto *crocum* pulveriſatum in minutulas portiones dividebat, chartuliſque inferebat præſtò futurum, qui petentibus ſtatim porrigetur, ſubitò in terram prolapſam atque inſtar apoplecticæ jacentem.

Croci vapores Mercatoris famulo mortem attulerunt. (*c*)

Crocum etiam in aëre liberiori exhalatione ſuâ Mulos clitellarios occidiſſe refert *Faber* ad *Hernandez* pag. 755.

Cynogloſſi majoris vulgaris caninum odorem virulentum eſſe *Blair* aſſerit.

(*a*) Ephem. germ. decur. 3 ann. 9. 10.
(*b*) Uſus Opii ſalut. &c. § 1 pag. 114.
(*c*) *Borellus* Cent. 4 obſ. 35.

Digitized by Google

Nerii floris cubiculo inclusi effluvia dormientibus sæpè lethalia fuerunt. (*a*)

Deteſtabilis fœtor urinæ eorum qui turionibus *aſparagi* veſcuntur ſenſibiliores, ſeu hypochondriacos & hyſtericas noctû nonnunquam graviter lædit; verùm noxæ ab exhalationibus illis, odoratûs organum fortiter ferientibus, timendæ averti poterunt, ſi veſicam exonerent in matulam aquâ purâ, cujus ſingulæ libræ admiſtæ ſunt ſpiritûs Salis Marini unciæ duæ, ſemiplenam.

Ab exhalationibus *Fungorum* venenatorum motus epileptici & mors ſubitanea. (*b*)

Non ſolùm malè olentes, verùm etiam ſuavè olentes plantæ homines peculiari idioſyncraſiâ præditos, nec non animalcula minora graviter afficiunt aut exſtinguunt: hinc imprudenter agunt illi, qui, graveolentiâ non coacti, variis liquoribus unguentiſve odoriferis veſtimenta ſua imbuunt, & ita in publico verſantur. (*c*)

Sic *Roſarum* exhalationes vomitum, diarrhæam, ophthalmiam, ſyncopen, abortum, ſuffocationem aliquando induxere. (*d*) Neque (inquit *Boerhaavius* e) adeò fabuloſis ſtatim adſcribenda, quæ de ſtupendis effectibus effluviorum tradi ſolent in hiſtoriâ plantarum . . . . . . Somnum vicini dat *papaveris* halitus. *Taxi* lethalis memoratur ſubtùs dormienti vapor. (*f*) *Fabarum* florentium diù attractus odor mentem movet.

(*a*) *Linnæus* de odor. Medicamentorum.

(*b*) *Petr. Foreſt.* l. 30 obſ. 10 in Schol.
Fabrit. Hildan. cent. 4 obſ. 35.

(*c*) Illa unguenta luxuriæ causâ Perſis olim uſitata, odio quoque habuit *Horatius*, ut ex Odâ 38 lib. 1 colligere licet.
- - - - - - *Perſicos odi, puer, apparatus.*
Odorum igitur pyxides intactæ & illibatæ potiùs relinquendæ illis, qui tetro corporum ſuorum odore circumfluum aëra inficiunt, aſtanteſque fugant: hic etiam mos corporis fœtorem odoramentis corrigendi *Martiali* L. 2 haud ignotus fuit; undè facetè verſus hos poſthumo objecit.
Hoc mihi ſuſpectum eſt, quod oles benè, poſthume, ſemper,
Poſthume, non benè olet, qui benè ſemper olet.

(*d*) *Ledelius* eph. germ. decur. 2 ann. 2.
Lemery cours de chymie, augm. par *Baron* pag. 656.
Journal Encyclop. ann. 1771 tom. 4 part. 2 pag. 244.

(*e*) Chem. tom. 2 proc. 1.

(*f*) De hâc arbore, cujus umbra in Belgio funeſta non eſt, *Lucretius* L. 6 canit.
Eſt etiam magnis Heliconis montibus arbos
Floris odore homines tetro conſueta necare.

Digitized by Google

A ſolis odoriferis produci poſſe carum *Strabo* quoque refert. (*a*)

Plura addere vetat anguſtior pagina.

Ubi quiſpiam ab his, aliiſve ſimilibus odoribus in animi deliquium, paſſionem hyſtericam &c. incidit, præſentaneam ſæpiùs opem conferunt aër purus, vapor aceti alteriuſve liquoris ægro grati & oppoſitam vim nocivis exhalationibus habentis.

Iidem quoque liquores intùs nonnunquam fauſtè adhibentur.

Si ſanguinis orgaſmus aut plethora ſpuria, à ſubtiliſſimis effluviis croci aliarumve plantarum orta, carum, apoplexiam ſimiliave ominoſa ſymptomata produxerit, quantociùs educendus erit ſanguis ex jugularibus venis aut ſaphenâ: quibuſdam optimè ceſſit ipſamet arteriotomia. Veruntamen certis cancellis contineri debet ſanguinis miſſio, ne ægrotantium res in deteriora ruant, &, exhauſtis viribus, fatum acceleretur.

PULVERES VEGETABILES INSPIRATI.

Pulveres (ait *Lindeſtolpe* b) ex trituratis ſegetibus prodeuntes acrium & nocentium ex numero excludere non oportet, item quoſcunque pulveres vel naturâ, vel arte in mechanicum venenum factos. Hi enim, inſpiratione aëris pulmone excepti, pro tenuitate ſuâ, in intimos & exiliſſimos conos tracheales penetrant, ibique commorantes & motû pulmonis hinc indè ventilati, excitant primò tuſſes ſiccas, dyſpnœas & aſthmata, palloreſque faciei, propter impeditum in pulmone ſanguinis circuitum, mox ex jugi pulmonis contractione vicina loca erodunt, vomicaſque faciunt & ulcera pulmonalia, in perfectam ſæpiùs phtiſim, ipſamque non raró mortem deſinentia, ut videmus apud ruſticos huic operi ex profeſſo incumbentes.

Lycoperdonis ſeu *Crepitûs Lupi* pulvis ſubtiliſſimus ad veſiculas pulmonales inſpiratione delatus, eas vehementer conſtringit, & homines aliaque animalia non raró ſuffocando enecat.

Agarici pedis equini facie, ſeu *Fungi Igniarii* pulvis pulmonibus receptus eadem quoque ſymptomata inducit.

(*a*) Geogr. L. 65. pag. 535.
(*b*) De Venen. pag. 420.

Digitized by Google

Si pulviſculi irritantes inſpirati tuſſim moleſtiſſimam excitent; auxilium ſpondent (inquit *cel. Tralles* a) evitatis, quantùm poſſibile eſt, cauſis ægritudinem inducentibus, vapores ex aquâ & lacte ore hauſti, vel infundibuli miniſterio ſucti, utpotè immediatè laryngis rimam ſubeuntes & membranæ interioris nerveos villos blando rore inungentes, eorumque excuſſionem à locis, quibus infixa ſunt, lubricando facilitantes; his actis, ut decet, ſi aliquis ad motus coercendos opium neceſſarium judicaverit, non ſanè à rectâ medendi viâ aberrabit.

De curâ ſternutationis nimiæ ab irritantibus productæ paginâ 30. egi.

(a) Uſus Opii ſalut. &c. §. 3. pag. 125.

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

Digitized by Google

INDEX.

INTRODUCTIO. Pag. 3
CLASSIS PRIMA *Venenorum Acrium* 6
Colchicum 6
Helleborus albus 7
Niger 7
Ranunculus pratensis 9
Palustris 9
Tithymalorum variæ species 10
Imperatoria 11
Iris 11
Palma Christi, sive Ricinus vulgaris 11
Pinguicula vulgaris 12
Plantago palustris 12
Sambucus caule arboreo &c. 12
Humilis, sive Ebulus 12
Brionia alba 12
Œnanthe aquatica 13
Asarum 13
Doronicum 13
Arum 14
Laureola mas 14
Femina 14
Oleastellum 15
Cyclamen 15
Cucumis silvestris 15
Arnica 15
Gratiola 16
Delphinium, seu Staphisagria 16
Atriplex silvestris latifolia &c. 16
maritima laciniata 16
angustifolia 16
Caryophyllus indicus major 17
minor 17
Caltha palustris 17
Ros solis 17
Evonymus vulgaris 17
Juniperus 18
Nerium Oleander 18
Abies marina 18
Pinus silvestris 18
Corona Imperialis 19
Rubia tinctorum 19
Hyacinthus 19
Chamædris 19
Satureia hortensis 19
Petroselinum 20
Viscum 20
Rapistrum 20
Sabina 20
Mercurialis, Cynocrambe dicta 21
Beta 21
Digitalis 21
Urticæ, coriandri & nigellæ semina 22
ANTIDOTA *Venenorum Classis Primæ* 23
Indicationes 23
Venæsectio 23
Vomitum moventia 24
Purgantia 25
Clysmata 25
Acida 26
Spiritus vini 27
Demulcentia, & Incrassantia 29
Opium 30
Hyosciami extractum 31
Balnea, Fomenta, Cataplasmata emollientia 32
CLASSIS SECUNDA *Venenorum stupefacientium* 34
Papaver hortense 34
Hyosciamus niger 35
Stramonium 36
Belladona 36
Solanum caule inermi, herbaceo, foliis ovatis &c. 37
Poma amoris 37
Mandragoras mas 37
femina 37
Cicuta major 38
minor 38
aquatica gesneri 38
Crocus sativus 38
Nicotiana major latifolia 39
angustifolia 39
minor 39
Aconitum, sive Napellus 41
Fungi 42
Laurocerasus 43
Cannabis sativa 44
Taxus 44
Verbascum 45
Lolium 45
Cerealia semina vitiata 45
ANTIDOTA *Venenorum Classis Secundæ* 46
Venæsectio & Arteriotomia 46
Vomitoria 47
Purgantia 48
Clysmata 49

Acida 49
Stimulantia externa 50
CLASSIS TERTIA *Venenorum glutinoſorum, tenacium* 52
Semina Pſylli 52
Lini 52
Gluten aucuparium 52
Cynosbati ſpongia 52
ANTIDOTA *Venenorum Claſſis Tertiæ* 52
CLASSIS QUARTA *Venenorum Oleoſorum* 53
Olea vegetabilia recens expreſſa 53
Rancida 53
Empyreumatica 54
Stillatitia, ſeu Eſſentialia 54
ANTIDOTA *Venenorum Claſſis Quartæ* 58. 54. 55
CLASSIS QUINTA *Venenorum Alcalinorum* 56
Salia alcalina fixa 56
volatilia 56
ANTIDOTA *Venenorum Claſſis Quintæ* 57. 58. 59
CLASSIS SEXTA *Venenorum ſpecie halitûs &c. Perimentium* 60
Vapor carbonum accenſorum 60
Vini fermentantis halitus 62
Plantarum, Seminum &c. halitus nocivi 62
Cannabis corruptæ fœtor 62
Lini in aquâ macerati effluvia 62
Ranunculorum hortenſium odor 63
Naporum floreſcentium effluvia 63
Dracontii fœtor 63
Foliorum Juglandis arboris exhalationes 63
Hyoſciami effluvia 63
Fœni recens congeſti effluvia 63
Florum Sambuci effluvia 63
Cicutæ effluvia 63
Croci exhalationes 63
Cynogloſſi caninus odor 63
Nerii floris effluvia 64
Fœtor urinæ eorum, qui aſparago veſcuntur 64
Fungorum venenatorum exhalationes 64
Roſarum exhalationes 64
Papaveris halitus 64
Taxi vapor 64
Fabarum florentium odor 64
Pulveres vegetabiles inſpirati 65
Lycoperdonis pulvis 65
Agarici, ſeu Fungi igniarii pulvis 65
ANTIDOTA *Venenorum Claſſis Sextæ* 60. 61. 62. 64. 65. 66

Digitized by Google

VERHANDELING
OP DE
VRAAG:

Welk was de Kleeding, de Spraak, den Acker-bouws, Koop-handels, Letter-kundes, en Wetenschappes staat by de Belgsche Volkere voor de zevenste eeuw?

DIE DEN PRYS BEHAALT HEEFT
VAN DE KYZERLYKE EN KONINGLYKE ACADEMIE
Der Wetenschappe en Letter-Kunde
VAN BRUSSEL IN 'T JAAR M. D. CC. LXXIII.

Door d'Heer DU RONDEAU,
Genees-meester van het Hof van zyne Koninglyke Hooghyd den Hertog KAREL VAN LOTHRINGE &c.

> Nihil enim aptius ad delectationem Lectoris, quam temporum varietates fortunæque vicissitudines.
> *Cic. Ep. Lib.* 5. *Epist.* 12.

TOT BRUSSEL,
By *ANTONIUS D'OURS*, Boekdrukker by St. Jans.

M. D. C. C. LXXIV.

Digitized by Google

ANTWOORD
OP DE VRAAG VAN DE LETTER-VOEDENDE MAATSCHAPPY VAN BRUSSEL

Welke was de Kleedinge, de Taal, den Staat van de Ackerkonst, van de Koophandel, van de Letterkonst en van de andere Konsten der Belgische Volkeren voor de zevenste eeuw?

OM deze vraag te beantwoorde kan men zig niet bevryde de Belgische Galliers te verdeele in twee Volkere teenmaal van malkander verschillende aangaande de Zede en de Levens-vorm : die, die de Noordsche gewesten bewoonde, waare waarschynlyk dwaalende mensche, dewelke geen vaste wooninge hadde (1) de Westersche in 't tegendeel, hadde niet alleenlyk vaste wooninge, maar zelfs Stede, mitz Julius Cæsar de Atuatikers Stad belegert heeft, welke nog verschyde andere stede hadde, (2) dat hy, aan de *Nervii* 't Land en de Stede die hy op hun verovert had, wedergaf (3), en dat hy zelfs een winter tot Neme-

(1) Fixas nullis germanorum populis urbes habitari, satis notum est, nec pati quidem inter se junctas sedes. *Tac. de mor. germ. cap.* 16. versus septentrionem gentes Schytæ vel Nomades appellantur. *Strab. lib.* 1. *pag.* 33.

(2) *Jul. Cæsar de bello gall. lib.* 2. *cap.* 29.

(3) *Plutarch. lib.* 1. *Cæs. de bello gallico lib.* 2. *cap* 28.

Digitized by Google

tocenna, een ſtad in 't land der Atrabaters, overbragt. (4) Men kan daer uyt, meyn ik, inbrenge, dat de Belge die aan de Kelte, eygentlyk geſeyt, aanpaalde, niet alleenlyk vaſte wooninge hadde, maar zelfs ſchoone Stede, (5) en de Noordſche nog d'eene nog d'andere; want volgens Ammianus Marcellinus vlugte zy de ſtede, als Grave die met Nette zoude bezet geweeſt zyn.

Aangezien de beſte hiſtorie-ſchryvers ſchillende zyn op de bepaaling van Belgſch Gallie, men weet niet aan welke verdeeling men zig moet houde. Julius Cæſar, die 't meeſte deel van Gallie voor 't Roomsh-Ryk verovert heeft, heeft ook den eerſte daar van de verdeeling gedaan in dry deele, te wete in Aquitaans, Kelts en Belgſch Gallie : de Kelte waare volgens hem van de Aquitaane afgeſchyde door de *Garumna*, en van de Belge door de *Matrona* en de *Sequana*: door deze verdeeling quaame de Kelte tot op den Rhyn door de middel van de *Sequani* en van de *Helvetii*. De Belge beginde op de Noordpaale van de Kelte, te weten aan de *Sequana* en de *Matrona*, hun uytverbrydende tot aan den ontfang des Rhyns in de noord-Zee. (6) Auguſtus verdeelde daarna Gallie in vier deele, vermeerderende 't Belgſch Gallie door 't byvoege der *Sequani* der *Helvetii* &c. : aan deze laaſte verdeeling wil ik my houde met *Plinius* en met *Ptolomeus* (7); Strabo is den eerſte, die van deze verdeelinge ſprekt (8) al is't dat *Pomponius Mela* daar van niet waagt, niet tegenſtaande hy Auguſtus Nakomeling geweeſt is. *Tacitus*, ſprekende van Kyzer *Otho*, maakt voor de eerſte maal gewaag van de twee Germanien: (9) men vind'er, die denke, dat dees twee Land-ſtreke van 't belgiſch Gallie afgenomen geweeſt zyn korts naar Auguſtus dood; andere wille dat dees aflitting ten tyde van Nero gebeurt is. Daar zyn t'zedert nog verſchyde aflittinge ende veranderinge gebeurt, maar dit waar al te lank om by te brengen.

(4) *Hirtius Panſa de bello gallico lib.* 8. *cap.* 47.

	17	porrois *lis.* pourrois
	22	issue *lis.* issus
60	24	demontrera *lis.* dedemontreroit

	32	des *lis.* de
61	2	allegoi *lis.* alleguoi
	13	qu'un *lis.* que
	34	patiuntur *lis.* partiuntur
62	25	habent *lis.* hebent
65	4	les *lis.* des
66	1	des *lis.* les
	23	devoit *lis.* devoit y
	29	harenava *lis.* harenacea
	31	ferra *lis.* terra
	40	temerat *lis.* temperat
67	1	Ce *lis.* Le
	13	leur *lis.* leurs
	37	suis *lis.* sues
68	3	longeur *lis.* longueur
	26	Catavalcus *lis.* Cativulcus
69	26	des *lis.* de
70	1	Jardins *lis.* Jardin
	3	teindre *lis.* teindre en couleur de mâron
	38	canum *lis* fœnum
	40	porcoribus *lis.* pecoribus
71	9	n'a *lis.* a
73	13	de crainte *lis.* crainte
75	6	sa *lis.* la
	20	leurs *lis.* leur
76	34	hist. pauf. *lis.* hirt pans
77	6	des *lis.* de
78	12	c'est *lis.* c'étoit
79	1	de *lis.* du
80	23	eux *lis.* eux &
81	16	consomption *lis.* consommation
	34	Sollianum *li.* Lollianum
85	9	les *lis.* le
87	4	au *lis.* de
88	18	ne troisieme trouvée *lis.* n troisieme trouvé
89	23	leurs *lis.* leur
90	39	ipsique *lis.* ipseque
92	21	negosier *lis.* negocier
	22	des esclaves *lis.* esclaves
93	31	lera *lis.* loca
94	39	expertim *lis.* expertem
96	2	des *lis.* de
	30	saliginem *li.* selaginem
97	24	vascier *lis.* vannier
	39	Gaules *lis.* Gaulois
98	26	fournirai *lis.* finirai
100	18	de *lis.* sur
103	33	sophistos *lis.* sophistas
109	32	pace *lis.* puæ
111	34	dignoe *lis.* dignos
112	32	rasoribus *li.* rosoribus

Digitized by Google

pag. 114 lig. 22 de *lis.* du
115 16 Clovis recû *li.* Clovis a recu
19 wisogart, bodogart *li.* wisogast, bodogast
20 Salogart & Vindogart *li.* Salogast & Vindogast
116 3 manuscripts *lis.* manuscrits
16 enfin *lis.* afin
33 ripuaria *lis.* ripuarios
119 16 observent *li.* s'observent
120 31 sententiæ *li.* scientiæ
121 16 nedzir *lis* nedsir
122 40 suffuigium *li.* suffugium
123 18 montoient *li.* mettoient
124 7 d'azur *lis.* d'osier
125 24 long *lis.* longueur
30 armure *lis.* arme
138 18 bout dont la chaine est une étoffe *li.* bout à une étoffe dont la chaine
139 27 alienis polentium *lis* ahenis polientium
38 patina *lis.* patinæ
142 12 qu'on gravât *lis.* qu'on eut gravé
18 leur *lis.* la
25 les armes de la *lis.* leurs armes de
33 jus poison *lis.* jus le poison
39 hoet altic *li.* noct. attic.
146 20 monjou *lis.* monjoie
148 13 lesquels *lis.* lesquelles
14 des *lis.* de
31 basilicus *lis.* basilicas
150 34 notatis *lis.* natalis *ibid.* manibus *lis.* mænibus
151 15 nomachie *li.* naumachie
152 34 midinis *lis.* ndinis
35 exercitionem *lis.* exercitationem
154 11 pilloti *lis.* pilotis
155 13 celus *lis.* celui
32 diverticucula *lis.* diverticula
157 14 *deleat* &
15 lesquels on descendit *lis.* on le descendit
18 prémieres *li.* prémiers
158 28 distinabantur *lis.* distinebantur
31 feciliùs *lis.* feciùs
159 5 le *lis.* les
13 Cetius *lis.* Ælius
26 Chauses *lis.* Chauces
30 drusiance *lis.* drusiana
160 3 Chauses *lis.* Chauces
6 ce *lis.* &
18 les *lis.* ses
19 les *lis.* ces
26 deplu *lis.* deplue
38 astuto *lis.* afflato
40 Eos *lis.* Cæs.
161 6 de *lis.* des
19 des *lis.* de
163 19 des *lis.* de
34 quam *lis.* quum
164 18 ainsi *li.* ainsi que
31 quinus *li.* quinos
165 9 gynicées *lis.* gynecées
24 clibunaria *li.* clibanaria
42 conjicit *li.* injicit
166 4 leur *lis.* le
22 pro *li.* præ --- videatur *li.* videntur
23 venationem *li.* vacationem
167 9 des *lis.* de
31 decas *li.* duas
168 15 labes *lis.* labeo
16 brimo *li.* brinno
169 28 grandes *li.* grands
170 4 tentates *li.* teutates
172 37 untho *li.* cantho
173 5 portes *li.* porte
23 des *li.* de
174 16 platte *li.* plate
29 gratus *li.* grates latus *li.* tutus
175 16 sa *li.* la
177 5 une *li.* un
6 une *li.* un
14 s'il *li.* qu'il
17 des *li.* de
27 noctas *li.* nocte
30 Cæcilianæ *li.* Cæciliane
179 8 platte *li.* plate
23 des *li.* de
180 25 dance *li.* danse
181 4 Chaones *li.* Chacones
39 cum solent *li* cum quo scribere solent
182 34 sculpellus *li.* scalpellus
183 18 écrit *li.* écrits
19 de *li.* du
184 9 de tombes, prétoires *li.* des tombes, des prétoires
186 9 Birkoffstein *lis.* Biskoffstein
24 fit *li.* fait
187 11 l'eau *li.* eau
27 les *li.* leur
34 raperit *li.* ruperit
188 14 auroient lancés, poursuivis, ou lassés *li.* avoient lancé, poursuivi ou lassé
189 3 des *li.* de
13 vange *li.* vosge
25 helius *li.* helicis

Digitized by Google

REVERENDI DOMINI
A. HEYLEN,
ECCLESIÆ B. M. V. DE
TONGERLOO CANONICI,
AC IBIDEM ARCHIVORUM
PRÆFECTI:
COMMENTARIUS
AD QUÆSITUM,

A quo Tempore Jus Romanum notum fuerit in Belgio Austriaco, vimque Legis ibidem obtinuerit?..

Quem Palmam referenti accessisse Cæsarea Regiaque, Bruxellensis Academia judicavit anno 1782.

. . . . mores
Leges perduxerunt jam in potestatem suam.
. . . . eæ miseræ etiam
Ad parietem sunt fixæ clavis ferreis, ubi malos mores
Adfigi nimio fuerat æquius. *Plautus in Trinum.*

BRUXELLIS,
TYPIS REGIÆ ACADEMIÆ.

M. DCC. LXXXIII.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

PAUCIS hujus Commentarii methodum exponam. Cum inconveniens mihi visum sit, omissis initiis atque origine non repetitâ [ut loquitur Gaius in L. 1. ff. de orig. jur.] protinus materiam tractare. Hinc subiit animum meum ea cogitatio, ut determinationi temporis quo Jus Rom. Belgis innotuerit, atque apud eosdem pro lege receptum fuerit, quædam præmitterem de Belgarum per Romanos subactione, Romanorum in Belgica statu, eorum juris origine ac ejusdem apud provinciales vicissitudinibus; & ut, concinna ac compendiosa habeatur notitia juris, quasi omnis quod apud Belgas viguit ab eorum per Romanos ad hæc tempora subactione, hinc etiam leges principaliores aliquando, & modo in usu indicandas duximus. Porro cum hac methodo præsens ad propositam Quæstionem Responsum, non nihil forsan præscriptæ brevitatis limites excessisse comperietur, hinc dignabuntur illust. Socii [si ita visum fuerit] omittere Capita I, II, VI, VII, VIII, ut pro responso non necessaria, licet utilia, & solum evolvere Capita III, IV, V, IX, X & XI, eaque sola pro Responso habere, quibus evolvendis præscriptum pro lectura tempus plusquam sufficiet. Id etiam ill. Socii scire dignentur, me [ubi Mss. cito.] non nisi authographa,

Digitized by Google

quæ mihi videre licuit, citare quod spectat libros impressos, auctores factis synchronos quantum potui, adduco: in citationibus & epochis summam adhibui diligentiam, undè si errores aut anachronismi occurrant, hos non incuria vel levitas, sed qua cuncti laboramus fragilitas admisit & inscitia. Præfari non est opus plura siquidem ut Lucianus ajebat, Procemium historicorum non quærit benevolentiam, quam præcipuè captat orator.

COMMENTARIUS

AD QUÆSITUM,

A quo tempore Jus Romanum, &c.

CAPUT PRIMUM.

Romanorum & Francorum in Belgicâ ſtatus varius.

ASIA Pompeii manibus ſubacta, reliqua quæ reſtabant in Europâ fortuna in Cæſarem tranſtulit. Reſtabant autem immaniſſimi gentium Galli atque Germani (*a*). Hos fere omnes Belgicis in oris, brevi ſpatio ſubegit (*b*), & ſubactos non minori prudentiâ ſub jugo retinuit, quam virtute ſubjecerat. Sub Auguſto pars Belgarum, Morini libertatis prurigine titillati, Romanum jugum excutere tentarunt; ſed à Præfecto C. Carinate ad

(*a*) Florus hiſt. Rom. L. 3. C. X. fol. 289 edit. Amſt. 1692.
(*b*) V. Glazemaker Romeynſche hiſt. fol 128 edit. Amſt. 1666., V. etiam Chron. Adonis fol. 273 in bibl. PP. t. 9 p. 2 edit. Col. 1618. & Chron. Freculphi ibid. t. 9 p. 1. fol. 483. Paul. Diac. L. 6. hiſt. in bibl. PP. t. 8 f. 220 edit. cit. &c.

Digitized by Google

obedientiam fuerunt reducti. Cœteri porro Belgæ præsertim, Batavi, adeo Augusto placuerunt ut plures in militiam adsumpserit corporisque sui custodes esse voluerit. Adhuc variæ deinde exortæ fuerunt Belgarum rebelliones, & quidem sub Vespasiano Aug. Civilis Batavi rebellio Romanorum imperium non parum quatiit; sed Romani, uti nec in prosperis elati, ita nec in adversis confracti animo (ut eos exhibet Appianus) sub Cereali duce, eum aggressi devicerunt, paxque inita est, & Romanis in Belgio pro tempore regnum firmatum. In sequentibus temporibus Francorum aliorumque populorum nationes non semel illud Romanis extorquere conatæ sunt. Et Franci quidem sæpius Belgium, quod modo Austriacum, infestarunt; ast ante an. 342. parum stabiles habuere sedes. Dicto vero anno agros quosdam in Toxandriâ occupatos videntur initâ pace retinuisse, donec Julianus an. 358 Salios, aliosque Francos petens profligaret, sedibusque exueret; interim partem eorum dum se dedunt *cum opibus liberisque suscepit.* Versus an. 395. Stilico aliam Francorum partem petiit, quos adeo cum vicinis Barbaris protrivit & superavit ut reliqui Franci quietè sua potuerint possidere, &, sicut Claudianus canit

(2) In præfat. Nitidis. edit. Venet. 1477.

(3) Am. Marcel Lib. 17 C. 8 fol 132 edit. Lugd. 1693, & fol. 170 edit. Paris. 1681.

> Ut Salius sua rura colat, flexosque Sicambri,
> In falcem curvent gladios.

de laudibus Stiticon. L. 1. V. 220 in corp. vet poët f. 380 t. 2. edit. aureliæ Allobrogum 1640.

Et Honorius

> Germanis responsa daret legesque Caycis.

Sub annum 410, alia gravissima contra Romanos exorta est rebellio: Armorichi (*a*) enim Britannos *imitati consimili se modo liberarunt ejectis Romanis Præsidi-*

(*a*) Hos etiam partem Flandriæ, Zelandiæ & Hollandiæ occupasse demonstrat Bucherius Belg. Rom. Lib. XIII. f. 426 edit. Leod. 1655.

Digitized by Google

dibus, & propriâ quâdam republicâ ex arbitratu suo constitutâ (*a*). Sed cum viribus diffiderent, ut se contra Vandalos aliosq. Barbaros, a quibus jam fuerant oppressi, atque contra Romanos, quos ejecerant, defenderent, quod necessitas exigere videbatur, placuit, unde cum vicinis Francis, quos etiam metuebant, societatem & connubia inierunt: sicque hi in unum coeundo populum in magnam evaserunt potentiam. *Romanorum* interea milites alii qui in Galliarum extremis erant custodiæ causâ constituti, cum neque Romam jam redire possent, sese ad Armorichos, junctosque cum ipsis Francos contulere ac patrios mores continenter servatos ad suos transmisere posteros, adeo quidem ut vel ad hanc ætatem (550) nostram eodem tenore vel etiam cultu pristinos servare ritus non dedignentur... Patriis utuntur perpetuò legibus, Romanumque habitum ... servant (*b*).

An. 415. Castinus militiæ Romanæ in interiori Galliâ magister pro Romanis dimicans Francos aggressus est & non parum protrivit, remque Romanam paululum restituit, & an. 416. Exuperantius postliminio.

> Armoricas oras pacis amore docet,
> Leges restituit, libertatemque reduxit. *Rutil.*

Pax etiam data Francis, quibus, Ripuariæ portiò concessa fuit, qui ibi novum regem, quem Pharamundum annales Belgici Francicique nominant, crearunt, qui usque ad an. 427, quo mortuus creditur, hanc portionem videtur obtinuisse.

(*a*) Zozimus L. 6. C. 5. v. Grævii antiquitatum Rom. t. 7. Col. 1987 edit. Lugd Bat. 1698 qui hæc ibi ad an. 411 refert.

(*b*) Procopius de Bello Gothico Lib. 1. f. 30 edit. Basil. 1531. ita fere loquitur; sed pro Armoricis utitur verbo *Arborichis* per quos non alios quam Armoricos intelligere eum voluisse hodie fere eruditi conveniunt.

Digitized by Google

428. Aëtius in Galliam missus superbos Francos sub Clodione Pharamundi successore arma moventes aggressus, eos *immensis cædibus Imperio Romano servire coegit.* anno 432, pax inita duravit usque ad an. 442, Tum Clodion Aëtio aliis in oris occupato arma resumens cum Romanis non semel signa contulit, varioque marte pugnavit, & Francos suos in Toxandriam & Thoringorum (Tungrorum) terras reduxit, & apud Dispargum habitavit, inde progrediens regnum suum, (licet non leviter in planitie Atrebatum aliquando percussus) ad Somonam usque extendit.

Jornan des rer. Getic. C. 34. f. 729 in bib. PP. t. 6. p. 2. edit. Col. 1618.

Gregor. tur L. 2. C. 9 fol. 427. in bib. PP. t. 6. p. 2. edit. cit.

Clodioni an. 448 defuncto, successit Merovæus, qui regnum Francicum etiam ampliavit, sed & ipsi Aëtio contra Attilam (qui totam Europam armis suis subjecturus timebatur) fuit adjutor (*a*). Unde non parum Aëtium sibi obstrinxit, regnumque suum firmavit. Celebri pugnâ & victoriâ 451, contra Attilam elatus arma movit regnumque dilatavit. Aëtio è vivis sublato an. 454 Hesperium quasi concidit Romanorum Imperium: Avitus quidem sago togaque apud Romanos clarissimus, Francos composuit; sed quod occupaverant, indulsit. Mortuo Avito 456; atque eodem etiam anno Merovæo, successit priori Egidius, posteriori Childericus, sed hic Francis suis exosus ab iisdem ejicitur & unanimiter Egidius

Sylla acie, genio Fabius, pietate Metellus,
Appius eloquio, vi Fulvius, arte Camillus,

Sidon: in paneg. v. 1660. in corp. vet. Poet. t. 2. f. 844 edit. Aurel. Allob. 1640.

in regem ad sciscitur 457, atque ita Romani unius Egidii probitate & industriâ sine sanguinis effusione

---

(*a*) Adfuerunt, *Franci, Armoricani, Ripariolibrones quondam milites Romani.* Frecul. in Chron. t. 2. Lib. 5. fol. 542. in bib. PP. t. 9. p. 1. edit. Col. 1618.

Digitized by Google

antiquas possessiones recuperant, Francique Cisrhenani Belgicam incolentes ad Romanos redeunt. Sed Egidii, Romanorumque cæterorum post aliquot annos fortunâ variante Childericus à suis revocatus Egidium armis aggressus est & superavit & Romanorum antiquæ ditiones auxiliaribus Childerici fuere distributæ. Egidius vix fugâ elapsus, Suessione obiit, atque ita Belgæ Francis colla subdere, & Childerici victoris partes sequi fuerunt coacti, & regiones, quas modo Geldriam, Brabantiam, Flandriam, Hannoniam, Luciburgum, Namurcum vocitamus, & finitimæ pleræque rursum Francici juris fuerunt factæ, numquam deinceps ad Romanos rediture; & in his oris *Respublica Romanorum . . . quæ hactenus gentibus imperaverat, regibus gentium gemens succubuit* (*a*) & post annos ultra 500 ex quibus Cæsar Belgas subegerat, hîc desiit.

Hæc libuit compendiosè præmittere, ut clarius innotescat qua via jura Romana ad Belgas dimanarint, quibus vicissitudinibus fuerint obnoxia, & quibus legibus Belgica fuerit recta. Quædam adhuc pro ulteriori notitia præmittemus quoad jura quibus ipsi Romani olim regebantur & jam Belgii Domini utebantur.

(*a*) Freculphus ibid. fol. 543. hæc omnia clarius & latius deducit. RP. Egidius Bucherius quondam societatis J. doctissimus historicus in Belgio suo Romano, uti & illustris Societ. Litt. Socii in suis memoriis Coronatis 1771. 1773 atq. etiam Pontanus hist. Geld. Lib. 2, & 3 edit. Hardew. 1639.

Digitized by Google

CAPUT II.

Legum Romanarum Origo.

SI Romæ ſpectentur primordia, comperietur tota fere ex fæce populi conflata ; ac vix aliud quam prædonum fuiſſe confugium : huic porro urbi Deus qui *mutat tempora & ætates transfert* regna atque conſtituit, poſt Aſſyrios, Perſaſque & Græcos imperium donare decreverat, *cujus ad eos limites incrementa perducta ſunt, quibus cunctarum undique gentium vicina & contigua eſſet univerſitas. Diſpoſito namque divinitus operi maximè congruebat ut multa regna uno confœderarentur Imperio, ut cito pervios haberet populos prædicatio generalis quos unius teneret regimen civitatis* (1). Profecto *ita latè* hæc urbs *ibique per orbem terrarum arma circumtulit ut qui res ejus legunt non unius populi, ſed generis humani facta diſcant; nam tot laboribus periculiſque jactatus eſt* (popules Romanus) *ut ad conſtituendum ejus Imperium contendiſſe virtus & fortuna videantur* (2).

dan. 2. v. 21.

(1) S. Leo Serm. 80 in natal. Apoſt. Petri & Pauli fol. 164. edit. Lugdun 1700.

Prima hujus urbis ætas ſub regibus fuit prope ducentos quinquaginta per annos quibus circum ipſam matrem ſuam cum finitimis luctata eſt. Hæc ejus infantia. Sequens à Bruto Collatinoque conſulibus in Appium Claudium, Quintum Fulvium conſules ducentos annos patet, quibus Italiam ſubegit. Hoc fuit tempus viris armiſque incitatiſſimum : ideo quis adoleſcentiam dixerit : dehinc ad Cæſarem Aug. ducenti anni quibus totum orbem pacavit. Hic jam ipſa juventa imperii & quaſi quædam robuſta maturitas. A Cæſare Aug. in ſæculum noſtrum haud multo minus anni ducenti :

(2) Florus hiſt. Rom. in prooemio fol. 2 edit. Amſt. 1698.

Digitized by Google

quibus inertia Cæsarum quasi consenuit atque decoxit; nisi quod sub Trajano principe movet lacertos, & præter spem omnium senectus Imperii quasi reddita juventute revirescit (3).

(3) Florus loc. cit. f. 4. 5 & 6.

Sub his quatuor populi Romani ætatibus variæ fuerunt latæ leges & quidem sex primi Reges tales (*a*) tulerunt quibus monarchicum dominandi statum non solum stabiliverunt, sed & ad ampliandum media præscripserunt.

Tarquinius superbus, VIIus Romanorum rex, legibus eversis potius quam latis, regnum scelere partum, haud melius quam quæsierat administravit, ideo urbe & regno cum omni familiâ ejectus est, desiitque monarchicus dominandi status *& leges omnes*, a regibus latæ, *exoleverunt iterumque cœpit populus Romanus incerto magis jure & consuetudine ali, quam per latam legem*, inquit Pomponius. Id tamen non ita accipiendum est acsi intermedio tempore exleges vixissent. Sensus est leges Regias non amplius tamquam jus scriptum, sed tamquam mores majorum & consuetudines patrias viguisse.

Sub secundâ & tertiâ populi Romani ætate, sub consulibus & tribunis variæ emanarunt leges proficuæ; sed his inter se dissentientibus misera fuit juris conditio; quare tres legati *Sp. Posthumius Albus. A Manlius & Sulpicius Camerinus* Athenas leges quærendi causâ fuere missi an. U C. 300. Sequente magnam inde retulerunt peregrinarum legum farraginem ut pote ut Livius L. 3. C. 3. ait *jussi inclitas leges* Solonis

(*a*) Harum legum fragmenta videre est apud Heineccium hist. Jur. Lib. 1. apud Rosinum antiq. Rom. Lib. 8. apud Brunquel. hist. Jur. p. 1. & has collegit Papyrius unde & harum collectio *jus Papyrianum* dictum est. Videatur etiam Azorius L. 6. institut. moralium Cap. 68. fol. 419. edit. Colon. 1613. Oceanus Juris &c. &c.

Digitized by Google

describere & aliarum Græciæ civitatum instituta *mores*, *jura noscere*. His Romam reversis, creati fuere *Decem viri*, qui leges allatas ad statum Romanum reformarunt & in decem tabulas pro numero Decemvirorum composuerunt an 303: U. C.. cumque adhuc quædam deesse viderentur ad juris perfectionem additæ sunt duæ aliæ tabulæ, ita ut illa tota legislatio XII. constiterit tabulis, fontibus omnis juris publici & privati (*a*).

Vide etiam Vincent Bellov. spec. doct. L. 7. C. xxxvi fol. 582 edit. Duac. 1624. c. 2. item. ibid. f. 587.

Post leges XII tabularum variæ usque ad Augustum adhuc emanarunt leges; quia crescente republicâ etiam crescebant quæstiones & delicta, quæ ex legibus XII. tabularum dijudicari omnino non poterant. Pleræque harum à materia & ab auctoribus nomen sortitæ sunt (*b*).

Cum quartâ populi Romani ætate, dum jam monarchia resurgebat, tempus illud aliam vitam moresque postularet, cum leges antiquæ novo statui monarchico minus convenirent, Cæsar Aug. (quod C. Julius Cæsar jam cogitarat *jus* scilicet *civile* ad certum modum redigere (*c*) sed quod ejus fata non permisêre) paulatim & minus aperte perfecit, jura dans *quibus pace & principe uterentur*.

Suet in J. Cæs. C. 44. v. Hein. procem. in elementa juris edit. Lov. 1778. f. 3.

Sub ejus successoribus varia adhuc emanarunt edicta, constitutiones,

(*a*) *Auson*. . . . . jus triplex tabulæ ter sanxêre quaternæ
Sacrum Privatum & populi commune quod usquam est.
Prudent. . . . . . . dicant cur condita sit lex
Bis sex in tabulis. . . L. 2. cont. Sym. fol 236. edit. Amst. 1625.

(*b*) Vide Vincent. Bellovacens. spec. doct. L. 7. C. 46. edit. Duac. 1624, Azorium inst. moral. L. 6. f. 421. edit. Col. 1613. Cellar. breviar. antiq. Rom. f. 93. edit. Taur. 1742, Rosin. L. 8. f. 599. edit. amst. 1685.

(*c*) Unde *Horat*. . . . . Res Italas bello tutaris, moribus ornas
Legibus emendas.

Digitized by Google

Constitutiones, Senatusconsulta &c. Sed sub Constantino qui Christianam Religionem stabilire intendens redolentes paganismum constitutiones approbare non poterat, varie legum Romanarum conditio immutari debuit, quod præcipue actum an. 319. 320. 321 322. dum mores populi Romani novis legibus in melius mutare studuit. Inde quasi tota alia juris extitit facies; ast Julianus ad pristinam superstitionem relapsus non paucas in Christianorum odium leges Religioni Christianæ contrarias & impias condidit. Quæ quidem compilatorum incuria vel inscitia in Codicem Theodos. redactæ sunt. Sequentes vero Imperatores Jovianus, Valentinianus, Valens, Gratianus, Valentinianus Junior, Theodosius M., quorum plurimæ extant Constitutiones, Constantini M. vestigiis postea strenue institerunt.

Hos secutus Theodosius Junior an. 438 condidit codicem, de quo nobis inferius erit sermo: modo inquiremus utrum leges Romanæ, de quibus jam disseruimus, in Belgio fuerint notæ & viguerint; quod est pars quæstionis propositæ.

CAPUT III.

De notitia & usu legum Romanarum apud Belgas usque ad an. 438.

VARIA uti jam demonstravimus fuit ab U. C. usque ad Theodosium Jun. juris Romani facies, dum continuo leges fuere conditæ novæ, antiquis abrogatis vel immutatis. In tantum reor Leges Romanas apud Belgas, ex quo J. Cæsar eos subegit usque ad Theodosium, notas & observatas in quantum apud Roma-

Digitized by Google

nos vigebant, & Belgæ Romanis subjiciebantur. Cum enim Romani devictis gentibus non solum linguam (*a*) sed etiam leges (*b*) suas imponerent, & ad tempora usque Theodosii & ultra, Belgæ, modo Austriaci, plerique sub Romanorum essent dominatu, sic procul dubio eorum leges observarunt

Idem etiam apud Tacitum (*c*) Cerealis, dum inter Treviros & Romanos *nihil separatum clausumve* prædicat, innuit.

Lib. 4 hist. pag. 416. Idem, idem Tacitus adhuc sat clare innuit, dum Tencterorum legatum Agrippinienses adhortatum refert *ut instituta, cultumque patrium resumerent*, quæ non nisi ob Leges Romanas reliquerant.

Immo Romani gymnasia in Belgica erigentes Belgas ad diversa studia concitarunt qui adeo in iis profecerunt ut non solum excelluerint arte Rethorices &c. (*d*) sed etiam jurisprudentia maxime florerent (*e*).

(*a*) Inter cætera obtinendæ gravitatis indicia illud quoque magna cum perseverantia custodiebant ne Græcis unquam nisi Latinè responsa darent, quin etiam per interpretem loqui cogebant non in urbe tantum nostra, sed etiam in Græcia & Asia: quo scilicet latinæ vocis honos per omnes gentes venerabilior diffunderetur. Valerius max. L. 2. f. 36. edit. Amst. 1651.

(*b*). Rutiliu Senim Romam alloquens, canit, *affers victis proprii consortia juris*. Et Frisiis, pauco tempore domitis, Corbulo; *senatum magistratus & leges imposuit*. Tacit. Lib. XI an. fol. 173 edit. Antv. 1607.

(*c*) Lib. 4. hist. fol. 419. edit. cit. Antv. 1607.

(*d*) Auson. enim mosellam celebrans Edyl. X. fol. 652 in Corpore veter. poet. T. 2. edit. Aurel, Allob. 1640. Canit. . . . .

. . . . Salve magne parens frugumq. *virûmque* Mosella
v. 810. *Ingenium* natura tuis concessit alumnis
Nec sola antiquos ostentat Roma Catones.
Contulit ad veteris præconia Quintiliani
Materiæ commendat honos: quum facta viritim
Belgarum, patriosque canam decora inclyta mores.
. . . . Memorabo quietos

(*e*) Ibid. v. 825 Agricolas *legumque* catos, fandique potentes.

Digitized by Google

Certum igitur eſt jus Romanum apud Belgas notum & in vigore fuiſſe ab eorum ſubactione uſque ad Theodoſii tempora, quibus nedum plane jugum excuſſerant, ut ſupra exhibuimus. Sed quum illuſtris litteraria ſocietas procul dubio magis reſpexit jus Theodoſianum & Juſtinianeum, quam jus ante Theodoſianum, hinc de illis diſſerendum.

CAPUT IV.

De Codice Theodoſiano, ejuſque apud Belgas uſu.

THEODOSIUS Junior, conſiderata miſera atque conſuſa juriſprudentiæ conditione, dum in immenſam pene molem excreverat multitudo librorum ad jus pertinentium, huic malo obviare intendens Conſtitutiones legitimorum principum in ordinem redigere ac ad imitationem *Gregoriani* & *Hermogeniani* Codicis in unum corpus illas conferre conſilium cœpit, & oppreſſas tenebroſo è carcere leges eruere in animo habuit. Id autem perfecit an. gratiæ 438 per octo viros juriſprudentia tum præſtantes. Antiochum ſcilicet, Maximum, Martyrium, Sperantium, Appollodorum, Theodorum, Epigenium & Procopium (*a*).

Confectum hunc codicem Theodoſius ut regulam, ſecundum quam omnes Romano imperio ſubjectæ gentes viverent, eſſe voluit promulgavitque in oriente per Florentium prætorii orientalis Præfectum, in Oc-

(*a*) Vide late & accurate de his Heinec. Lib. 1. hiſtor. Jur. Rom. C. 5. § 379 f. 489. &c. edit. Lugd. Bat. 1748. & Brunquellum hiſt. juris ante Juſt. P. 1. C. 24 & ſeq. fol. 165 & ſeq. edit. Amſtel 1740.

Digitized by Google

cidente similiter auctoritatem nactum atque à Valentiniano III. receptum, constat partim ex Novellis Valentiniani III, 10â & 12â; partim ex Novella codicis Theodosiani confirmatoria (*a*). Eodem modo sub insecutis Occidentalis Imperii principibus *Majoriano*, *Severo* & *Anthemio* in Gallia viguit. Majoriani enim Novella I & Anthemii Novella III *de bonis vacant.* antecessorum confirmantur Constitutiones; & Sidonius, Apol. Lib. 2. Epist. I. conqueritur de quodam, quod *leges Theodosianas calcans, Theodoricianas* præponeret. Et cum his temporibus etiam in Belgio Austriaco adhuc Romanorum reliquiæ superessent (*b*), hos Codicem recepisse extra dubium est, quin Procopius disertè testatur eos Romanos milites qui se Armoricis prodiderant ad sua usque tempora pristinos servasse mores, patriisq. perpetuo legibus usos (*c*). Verum dum Franci, post medium sæculi V. totum Belgium modo Austriacum occupant, Belgæ sæculares in eorum pedetentim videntur concessisse leges, quod (*d*) eo libentius fecerunt, quod ejusdem essent Germanicæ origi-

Fol. 996 tom. 5 bib. PP. edit. Col. 1618.

(*a*) Vide Gothofred. in prolog. Cod. C. 3, fol. 190 edit. Lugd. 1665.

(*b*) Uti Imperii notitia, confecta an. 438. exhibet: in qua Fanum Martis, Tornacum & Tractus Nervicanus, locus Quartensis sive Hornensis, Atrebatum, Lagium &c. nominantur ut Romanis subjecta. V. antiquit. Rom. Grævii t. 7. edit. Lugd. Bat. 1698.

(*c*) De Bello Goth. Lib. 1. fol. 30. edit. Basil. 1531. vide supra fol. 2.

[*d*] Vix enim ullum est in antiquissimis monumentis sæcularium reperibile vestigium legum Theodosianarum; attamen in Ripuaria adhuc an. 630 superfuisse Romana lege viventes patet ex Leg. Rip. tit. LXI, LXV, LXVI. apud. Baluz. t. 1. Cap. Columna 45 & 46 edit. Paris. 1677.

Digitized by Google

nis, & duplo majoris (*a*) fierent atque nobiliores (*b*) qui legibus Francorum viverent quam qui Romanis vel aliis; verum *Belgæ Ecclesiastici* leges Theodosianas, uti in tota Gallia *Clerus*, retinuerunt & iis vixerunt (*c*),

(*a*) Si Romanus Francum ligaverit sine causâ MCC. denariis culpabilis judicetur: si vero Francus Romanum ligaverit sine causâ DC. denariis culpabilis judicetur. In pacto legis Salicæ tit. 35 fol. 24 & fol. 175. edit. Antv. 1649.

(*b*) Si autem placeret domino Imp. ut eos [Burgundiones] transferret ad *Legem Francorum*, & ipsi *Nobiliores* efficerentur & hæc regio a squaloribus miseriarum sublevaretur. Agobard. Epis. Lugd. Epist. ad Lud. Imp. in Bib. PP. t. f. 571 edit. Col. 1618.

(*c*) Ei tabulas secundum Legem Romanam *quâ Ecclesia Romana vivit* scribere faciat. Constit. Dagoberti circa an. 630 apud Baluz. t. 1. Capit. Col. 41. edit. Paris. 1677.

Hincmarus Remens. Epist. 7 C. 4 fol. 70 in bibl. PP. t. 9. p. 2, edit. Col. 1618, si quis scire desiderat quales accusatores ac testes ad accusationem sacerdotum recipi debeant... pleniter in canonibus & *legibus quibus una* cum sacris Canonibus *sancta moderatur Ecclesia* poterit reperire. Qui testes (pergit ibid. C. 5) ut *lex Theodosii præcipit*.... & ulterius, & lex *Valentiniani & Theodosii* præcepit. Et epist. 4 C. 6 fol. 52. in bibl. cit. » Sed & XVI liber legum quibus *una cum sacris canonibus sancta moderatur Ecclesia* patenter ostendunt. Et opusc. 55 capit. in initio f. 98 loc. cit." cum *leges quas probat Ecclesia* dicant citat. ex cod. L. 9. t. 1. & cum hic esset Metropolita Belgicorum Episcoporum ejusque Epistolæ exstent ad Plebem & Ecclesiam Cameracensem & Tornacensem, quis dubitat quin Clerus Belgicus metropolitam suam secutus fuerit?

Ecclesia in Sacerdotibus constat ut in lib. 6. Capitul. C. 99 dicitur apud Baluz. t. 1 columna 939 & t. 2. Col. 1221.

Concil. Aurelian. an. 511. Can. I. » id constituimus observandum quod Ecclesiastici canones decreverunt & *Lex Romana* constituit apud Cabassut. f. 249 edit. Lug. 1680.

Testamenta SS. Amandi, Willebrordi, Remigii &c. ad Romani juris regulas condita videntur.

V. Bollandistas & qui hæc exhibent, & quamvis forsan S. Remigii non sit authenticum saltem est valde antiquum.

Florus Lugdun. idem insinuat, dum in persona Ecclesiæ canit;

Me Constantinus reverendo munit ab ore.
Me quoque Theodosius protegit ore pio

Vide Baluz. t. 2. f. 996.

Regino pluribus in locis id ostendit, præcipue vero Lib. 2. de discipl. Eccl. C. 89 fol. 245 edit. Paris. 1671. Lib. I. ibid. f. 184. 185. Lib. 2. f. 239, 235, 257, 258, 265, 278, 326, in append. ib. f. 392. 393. & pluribus aliis locis.

Digitized by Google

propriam etiam relinquentes (*a*), cum Clericis ſeſe adſcribebant quod & Francorum reges etiam expreſſe ſtatuerunt (*b*).

CAPUT V.

De Codice Juſtinianeo ejuſque in Belgica uſu.

V. Heineccii recitat. in elementa juris f. 2 edit. Lov. 1778.

(1) P. Warnefridus in bibl. PP. t. 8. f. 158 edit. Col. 1618.

(2) Unde poeta in ejus perſona, *Juſtinianus ego tot magna volumina legum Contraxi in formam, diſpoſuique brevem.*

De hoc codice vide etiam Clar. L. Muratorium in præfat. ad leges Longobard. t. 2 oper. f. 1. edit. Mediol. 1725.

QUUM Juſtinianus animadverteret miſeram eſſe adhuc juriſprudentiæ conditionem, utut Theodoſius emendationi incubuiſſet, *dum legum adhuc eſſet prolixitas nimia & inutilis*, de univerſo jure Romano in concinniorem ordinem, ſimul & ad breviorem modum redigendo ſerio cogitavit. Captoque ſemel conſilio primum an. 528 decemviris inter quos Tribonianus id dedit negotii, ut ex tribus qui tunc extabant Codicibus, Gregoriano, Hermogeniano & Theodoſiano conſtitutiones ſeligerent utiliores, eaſque mutatis, quæ mutanda viderentur, in XII libros redigerent; quam compilationem ſequenti anno abſolutam Codicem *Juſtinianeum* appellavit, editaque an. 529 conſtitutione publicavit & ſuppreſſis tribus Codicibus prioribus, ſolum iſtum in foro, pro norma haberi, juſſit. *Conſt.*

(*a*) Charta an. 1029. » & ideo ego qui.... honorem ſacerdotalem habeo & *Legem Romanam* nunc vivere videor quamvis ex natione... Salius ſim. Apud du Cange in Gloſſar. V. legem componere Col. 290 édit. Francf. 1710, & alia an. 1095." nos presbyter, acto q. Berardi, & presbyter Joannes q. Joannes qui profeſſi ſumus ex natione *noſtra legem vivere* Longobardorum, ſed nunc pro honore ſacerdotii noſtri videmur *vivere Legem Romanorum*. Apud Baluz. t. 2. Cap. in notis Col. 996 edit. Pariſ. 1677.

(*b*) Ludovicus Pius in Capit. » ut omnis ordo Eccleſiarum ſecundum Legem Romanam vivat. Baluz. t. 1. Cap. Col. ſeu pag. 690.

Digitized by Google

summam reip. § 3 & § *de Justin. cod. facta.* (*a*).

Addidit postea Digesta vel Pandectas, libros quatuor institutionum & Novellas, quas promulgavit, & quas merito aliquis legum Colophonem & Columnam dixerit, ut quæ solæ reliquo juri civili in multis auctoritatem addant, solæ in pluribus detrahant, solæ novam formam & normam attribuant inquit Mynsingerus.

Usus hujus juris in Italia, & toto orbe Romano fuit frequens, cum enim Justinianus illud ubique observari voluisset, & Gothos per Belisarium & Narsetem in Italia devicisset atq. ita ibi factus esset Dominus, id a subditis receptum est, & quamvis paulo post Longobardi Italiam invaserint, regnumque ibi constituerint sat potens, tamen ipsi Italis suâ cuique lege vivendi facultatem dederunt, ceu ex ipsa Lege Longobardorum adparet Lib. 6. Cap. 3, & hunc Justinianei Juris usum in plurimis Italiæ locis perseverasse, ut ut sensim obscuriorem, docent Heineccius, & Brunquellus præ cæteris, cum Gravina acuratius, uti & Cl. Muratorius.

A. Berti t. 1 hist. Eccl. f. 165 edit. Bassan. 1767.

(2) Apud Gudelin in præfat. operis de jure novis. Ant. 1620.

(3) Sanctio pragmat. vid. f. 9. sup. Nota (1).

(4) Versus an. 554 Gothorum regnum finem videtur habuisse

(5) Versus an. 565.

(6) Vide t. 2. oper. L. Muratorii f. 1. & 68 edit. Mediolan. 1725.

Verum licet in Italia & Africa &c. Juris hujus fuerit quasi quotidianus usus, in Gallia tamen atque Belgica, ubi Justinianus nihil umquam Juris habuit, ejus

(*a*) Quare in Procemio Instit. edit. Lug. 1650 ita loquitur Imp. » omnes verò populi (ipsius imperio subjecti) legibus tam a nobis promulgatis quam compositis reguntur; & in pragmatica sanctione art. X. hæc legimus: » jura insuper vel leges codicibus nostris insertas quas jam edictali programmate in Italiam dudum misimus obtinere sancimus, sed & eas quas postea promulgavimus constitutiones jubemus sub edictali programmate vulgare & ex eo tempore quo sub edictali programmate vulgatæ fuerunt, etiam per partes Italiæ obtinere, ut una volente deo facta republica legum etiam nostrarum ubique prolatetur auctoritas. Pithæi observat. ad cod. & novel. Just. fol. 675. edit. Paris. 1689. ex typog. regia.

Digitized by Google

leges ante sæculum IX non videntur innotuisse vel saltem aliquam auctoritatem habuisse: nam in nullis diplomatibus, Chartis aut aliis monumentis ante hoc sæculum vestigia clara reperire potui, quamvis millena excusserim. In formulis quidem Marculphi *Legis Romanæ* multoties, uti & in Bignonianis, Baluzianis, Sirmondicis, fit mentio, uti etiam in Capitularibus, sed ubique per *Legem Romanam* Codex Theodosianus, seu Aniani interpretis Compilatio, quæ Codicis Theodosiani nomen assæcuta est, intelligitur. Immo ex ipsis formulis Marculphi non obscure eruitur Codicem Justinianeum ejus tempore non viguisse in Gallia; nam ejus formula secunda L. 2 Form. secundum quam monachi Monasteriis, quæ ingrediebantur de bonis suis donationes faciebant, frustranea fuisset, si Leges Justinianeæ obtinuissent, cum per illas bona Monachi, nulla etiam facta oblatione, Monasterio tacita dedicatione deferantur.

Juvat non parum hanc conjecturam meam querela quam sæculo IX. deponit Nicolaus I. scribens universis Episcopis in regno Ludovici Galliæ regis, qua queritur Salomonem Episcopum cum quibusdam aliis absque patris oblatione, vel abbatis percepta benedictione Lambertum quemdam Monasticum habitum induere fecisse, ut ferunt, invitum, & *sub hac occasione paterna seu materna hereditate a fratribus privatum fuisse.*

Ex his consequens videtur tempore Nicolai, nedum plene Leges Justiniani pro Clericis in Gallia obtinuisse, dum illæ, sed non Theodosianæ, Monachum æque ac cæteros in sæculo manentes ad hæreditatem admittunt; ac per consequens Lambertus paterna aut materna hæreditate non fuisset privatus, si eo tempore Leges Justiniani ibi obtinuissent, cum, non obstante professione Monastica, cum fratribus suis ad successionem fuisset admissus

admissus non quidem ut sibi, sed ut Monasterio acquisivisset.

(1) V. van-Espen de vitio Simon. part. 2 C. § 7 fol. 37. tom. 2. opusc. edit. Col. 1709.

Hoc tamen sæculo IX Justinianearum legum notitiam atque Belgicam in Galliam penetrasse & apud Clericos auctoritatem obtinuisse ex Hincmari Remensis, operibus (*a*) clarum evadit & ex Concilio Tricassino non obscurè eruitur (*b*)

Insequentibus etiam sæculis X, XI & XII Justiniani Leges & præcipue Novellæ, simul cum Codice Theodosiano, immo ut videtur magis (*c*) quam Codex Theod. in rebus seu negotiis Ecclesiasticis

---

(*a*) » Proponam (inquit) tibi legalem sententiam Justiniani Cath. Imp. *quam probat & servat Ecclesia.* Opusc. 55 Capit. C. 30. fol. 136. in bibl. PP. t. 9. part. 2 edit. Col. 1618.

Ibid. Epist. 7. C. 10. fol. 71 & in hoc in lege Justiniani decretum est C. 575 si quis mulierem in sua domo habuerit &c. Justin. Constit. Novel, 123. & eodem fol. C. 12 citat leges ex Digestis, & C. 13 ait. » & huic sententiæ *Justinianea Lex consonat.* & Cap. 33 ejusdem Epistolæ septimæ citat plures Justiniani Constitutiones.

Epist. item 8. C. 29 fol. ibid. 82 ait. » de injuste excommunicantibus & excommunicatis quid Lex Justiniana decernat, vestram sapientiam latere non potest.

Item opusc. 55 cap. C. 27 f. 130. » & in Edicto Justiniani Imp. scriptum est. Item Cap. 51 f. 161 » unde etiam leges quibus *debitæ observationis reverentiam sancta Ecclesia perhibet.... in Cap. constitutionis Justiniani dicunt* &c. similiter multoties jus Justinianeum ad partes vocat Hincmarus Laudun.

(*b*) Ibi enim an. 878 Joannes VIII pontif. in hæc verba scripsit. » inspectis legibus Romanis ubi habeatur de sacrilegiis, invenimus ibi a Justiniano Imp. legem compositionis sacrilegii constitutam in 5. libras auri optimi; & concilio intersuerunt Episcopi Belgici. V. Baron. ad hunc an.

(*c*) Nam in tantum videtur Codex Theodosianus sensim ab usu recessisse in quantum usus Codicis Justinianei magis invaluit; jam autem multo magis ab Ivone & Gratiano adhibitus fuit Codex Just. signum ergo magis viguisse.... & forte tempore Burchardi usus Codicis Theod. jam declinare incipiebat, nam licet ex Reginone ultra 670 Capitula in suum decretum retulerit, vix tamen 6 vel 7 ex Codice Theod. ex quo centena in Reginonis collectione reperiuntur in dictum decretum re-

Digitized by Google

apud clericos viguerunt, ut ex Reginonis (*a*), Ivonis (*b*) & Alexandri III (*c*) operibus constat.

Verum licet Jus Justinianeum a Clericis & pro negotiis Ecclesiasticis fuerit assumptum; vix illud in Gal-

---

tulit. Accedit quod in causa quæ anno 1024 inter Ermengaudum Episcopum Urgellensem & Durandum Abbatem S. Cæciliæ vertebatur, Caput CXI. Lib. VI. Capitular. quod integrè de verbo ad verbum sumptum est ex Codice Theod. L. 47. de Episc. & *Clericis*, integrum referatur ut sumptum ex Capitularibus, nulla facta mentione Codicis Theodosiani, ex quo omnino in Capitularia translatum est. Signum ergo Codicem Theod. judicibus minus notum fuisse, quamquam maxime in Gallia vigeerat, quam Capitularia quæ ipsa jam (ut infra demonstrabimus) pene in oblivionem abierant. V. Baluz. t. 2 Capit. Col. seu pag. 1222 in notis, & in appendice eod. tom. pag. 1547 edit. Parif. 1677.

L. 12. Cod. de nupt. & Lib. II.

D. de ritu nupt.

(*a*) L. 1 de discipl. Eccl. Cap. 360 & 361 fol. 166 edit. Paris. an. 1671. ex capitularib. adducit quæ in Novellis Justiniani nov. 7. C. 1 & 2 reperiuntur & locis supra fol. 9 citatis ex Theodos. Codice seu interpretatione Aniani leges adducit centenas.

(*b*) Epist. 283 edit. Paris. 1585 fol. 233. » dicunt... instituta Novellarum quas *commendat & servat Ecclesia Romana*. Epist 46 f. 48 verso, unde in libro Pandectarum continetur. Epist. 69. f. 72 verso. » unde etiam in Legibus Romanorum Justiniani Imp. habetur & ibid. » hoc respondeo quod lex tam Ecclesiastica quam Mundana firmavit. Epist. 79. f. 76. » unde Justinianus in lib. Institutionum Cap. 1... & Codicis lib. 8. tit. 53. Epist. 173. f. 144. » hinc etiam habetur in lib. Constitutionum... Item in libris Novellarum. Epist. 191 f. 156 verso » si vir aliud vult inire conjugium, legitur in lege Novellarum. Epist. 202 f. 165 v. » habent enim Leges Imperiales, quia filio familias dissentiente nequaquam possunt sponsalia sub nomine ejus contrahi. Epist. 210 f. 174 » quod nec leges habent ut alicui de se confesso credi debeat super crimen alienum. Epist. 244. f. 203. v. » quod & legibus sæculi cautum habemus quas Catholici reges composuerunt & ex auctoritate Romanæ Ecclesiæ Catholicis populis servandas tradiderunt. Unde Justinianus in Codice Novellarum : si quis & in decreto atque pannormia eadem hujus rei testimonia occurrunt.

(*c*) Epist. ad Episcopum Upsalensem & ejus suffraganeos; » ne clerici ad sæcularia judicia pertrahantur & Romanorum Imperatorum leges prohibent *quæ tamquam canones ubi canonibus non obviant, sunt observandæ*. In bibl. PP. t. 12. f. 620 edit. Col. 1618.

Digitized by Google

liâ & Belgica Laicis ante sæculum XII fuit notum (*a*). Carolus quidem Calvus Adriano II Pont. rescribens, ejus meminit in hæc verba; Non est nostri regii ministerii sacrorum Canonum judicio condemnatum quoquam dirigere, cum apertissimè sacri Canones definiant & leges Justiniani ac cæterorum Imp. Edicta, qualiter & pro quibus & a quibus debeat Episcopus judicari; à quibus definitionibus nulli est liberum deviare. Sed hæc ex Clericorum instinctu potius quam propria scientia rescripsisse putatur, & cum pro negocio hæc rescriberentur Ecclesiastico, sic ex his etiam patet pro iis Leges valuisse Justinianeas.

Respexit novel. 69.

Jam Epistolam per Hincmarum Rem. confectam non dubitat Baron. ad an. 878 f. 540. t. 10 edit. Antv. 1603.

Soli igitur mihi Clerici in Gallia & Belgica videntur recepisse Leges Justinianeas (*b*), idque a sæculo IX.

(*a*) Vix enim ullum in actis secularium & pro secularibus vestigium est reperibile, & si hinc inde forte occurrat, id adhuc poterit contigisse non ex sæcularium Leges Romanas venerantium voluntate, sed ex cancellariorum seu notariorum, qui prioribus sæculis clerici ut plurimum erant, atque adeo Leges Romanas venerabantur, stylo & usu.. Vide si lubet le Dict. de Diplomatique par Dom de Vaines Paris 1774. V. Notaires.

(*b*) Illud observatum velim, dum dixi Clericos in negotiis Ecclesiasticis jus adhibuisse Justinianeum & Theodos. eoque jure Romano vixisse me solum significare voluisse id secundo loco seu post Canones adhibitum, ubi enim Canones extabant pro decidendis vel regulandis, hos Pontifices & Concilia primum observatos semper voluerunt, unde Concil. Pariense 615 Can. 1 statuit. primo loco ut Canonum instituta ab omnibus conserventur. apud Cabas. hist. Conc. f. 270 edit. Lugd. 1680.

Oecum. 7a. syn. Nicæna 787 Can. XI, Omnes sacros Canones custodire teneamur. Ibid f. 311. nulli sacerdoti liceat ignorare canonum instituta. L. 5 Cap. f. 839.

Meldense an. 845 Can. 34. ut canonum statuta. ab omnibus custodiantur Cab. ibid. f. 341.

Cælestinus Epist. ad Episc. Illyr. sumus subjecti canonibus.
Hormisdas; Canones solvere in Religionem committere est.

Greg. M. L. 9 Ep. 32 & vide Thiers, Traité de la dépouille des Curés édit. Paris. 1683 f. 414 &c.

Digitized by Google

dum in Galliam atque Belgicam videntur penetrasse. Nam cum Hincmarus Belgicæ Primas jam sæculo IX luculentissima (quæ exhibuimus) testimonia, pro earum auctoritate adducat, dubitandum non videtur quin ejus Suffraganei, qui Belgium hodiernum Austriacum sub sua Jurisdictione tenebant, cum suo Metropolita idem jus observarint, eamdemque Legum Rom. auctoritatem admiserint.

Porro cum supra Cap. IV. Belgas *sæculares* reliquisse Leges Theodosianas, & hoc Cap. eos non suscepisse Justinianeas asseruerimus sed ad Francorum se sensim contulisse Leges, breviter de illis differemus, earum originem & in Belgica usum demonstrando.

CAPUT VI.

De Legibus Francorum Salica, & Ripuaria & earum in Belgica secunda usu.

QUEMADMODUM obscura est Belgarum origo, ita haud clara est Francorum. Porro versus finem sæculi III gens illa orbi innotuit, & è Germania in Belgicam prorumpens sedes ibi figere tentavit, ita mox ponendo in ævum imperio præludens. Quæsitas vero sedes non semel evacuare & relinquere coacta fuit a Romanis donec tandem in Ripuaria atque etiam Toxandria portionem quamdam per aliquot annos sat pacifice possidendam obtinuerint, ubi (*a*) versus an. 422, videntur

(*a*) Versus hunc an. leges salicas nostrates plerique conditas credunt, Germanisque cunabula non levi ex ratione substrahunt patriæque vindicant; verum quæ de earum auctoribus atque certo cunabulorum loco statuunt levissimis fulciuntur rationibus.

Digitized by Google

Magiſtratus creaſſe legeſque Salicas condidiſſe »*Placue-* »*rat enim atque convenerat inter Francos & eorum pro-* »*ceres ut propter ſervandum inter ſe pacis ſtudium om-* »*nium incrementa veterum rixarum reſecare deberent: &* »*quia certis gentibus juxta ſe poſitis fortitudinis brachio* »*præeminebant, ita etiam legum auctoritate præcellerent,* »*ut juxta qualitatem cauſarum ſumeret actio criminalis* »*terminum.*

Verba ſunt prologi edit. Pithæani apud Wendelin Nat Sol. f. XXVII. edit. Antv. 1649. Vide L. Murator. præf. in leges Longob. t. 2 oper. f. 1 edit. Mediol. 1725.

Sub idem fere tempus fuerunt conditæ Leges Ripuariæ a Francis Ripuariis, ita dictis quod circa ripas Rheni, Moſæ & Ruræ conſediſſent: Leges hæ Salicis multum ſunt ſimiles niſi quod graviores pœnas pro delictis conſtituant, Monomachiam admittant & reliquas probationes vulgares clarius adprobent, ex quibus hæ probationes, his in oris pluribus in locis ad ſæculum uſque XIII vero ſimiliter ſubſtiterunt (*b*). ut ab iis admiſſæ.

Hæ porro duæ Leges reſpectivè apud Francos, atque adeo in Belgio Auſtriaco, cujus portionem occupabant ab initio quodammodo viguere, ſed Salicæ quidem ſenſim magis magiſque pro Francorum Imperii incre-

His legibus adjungere liberet Friſicas, quæ in ſeptentrionali Belgica ad ſera tempora viguere. Sed cum vix intra limites Belgii Auſtriaci eæ obtinuerint, hinc de eis differendi hic non erit locus. Videri poſſunt coronatæ Memoriæ 1773, 1771 &c.

(*b*) Duella enim quæ pluribus in locis pro deciſione cauſarum controverſarum adhibita leguntur ex Lege Ripuaria videntur ad hæc tempora ſubſtitiſſe quidem ad an. 1326 occurrunt talia, videlicet famoſum duellum Cambronenſe in quo omnia adhibita fuere quæ in legibus Ripuariis & Capitularibus de eo ſtatuuntur, uti colligere apertum eſt ex iis quæ habet Syrmundus in Notis ad Lib. 3 Epiſt. Gotfridi Vindoc. in Biblioth. PP. tom. 12 f. 306. .. edit. Col. 1618 & Delrio diſquiſit. magic. L. 4 ſect. 2 f. 316 edit. Lug. 1608 probationum vulgarium uſum ad hæc fere tempora nemo unus ignorat. Quæ ex lege Ripuaria & Friſica ſi non originem, ſaltem autoritatem videntur in Belgicis oris obtinuiſſe. V. Delrio L. cit. f. 323 &c.

Digitized by Google

mento invaluere, & Ripuarias quoad plura offuſcantes ad ſera uſque tempora anctoritatem retinuere.

Francorum reges fide Chriſtiana jam imbuti, non pauca ex his mutaverunt & emendaverunt, uti de Chlodovæo, Chlotario, Childeberto, Dagoberto, Carolo M. Ludovico Pio &c. conſtat, & Capitula illis adjicientes, ea ut Leges Salicas obſervata voluerunt (*a*); & cum Francorum reges, Salicis viventes Legibus, Belgio Auſtriaco ut plurimum dominarentur, qua quis ratione dubitabit quin ſubditi plerique dominorum vixerint legibus: cum regis ad exemplum totus componitur orbis. Ita ſane inſtrumenta publica, Diplomata, Teſtamenta, formulæ &c. Belgica indicant, in quibus norma & ſtylus omnino Leges Salicas redolent, & quidem (omiſſis anterioribus) expreſſa in pluribus Legum Salicarum fit mentio ſæculo IX & ſeq. Anno enim 837. Everardus fundator Abbatiæ Ciſonienſis in Diœceſi Tornacenſi Teſtamento ſuo legat filio ſuo *Unroch Librum de Lege Francorum & Ripuariorum.*

Vide ſupra fol. 8 Not D, E &c.

An. 855. Folkerus abbati Werdinenſi quædam donat, *ſecundum Legem Ripuariam & Salicam nec non ſecundum euna freſonum.*

(1) V. Miræum oper. dipl. 1 f. 21. edit. 2d. Lov. 1723.

An. 867. Quidam Erlebaldus bona ſua obtulit, *excepta domo Salica.*

(2) Mir. t. 3 dipl. f. 561 edit. Brux. 1734.

An. 898. Zuentiboldus rex tria mancipia Dieſtemii a ſervitutis vinculo liberat *ſecundum Legem Salicam* (*b*).

(*a*) L. III. Leg. Longob. CXXXI. » generaliter omnes admonemus ut capitularia quæ præterito anno *Legi Salicæ* cum omni conſenſu addenda eſſe cenſuimus, jam non ulterius capitula, ſed tantum leges dicantur, imo *pro Lege Salica* teneantur. Wendelin. in proœm. f. XXI. edit. Antv. 1649.

(*b*) Membranam authographam ſervat (referente Wendelino) Eccleſia Leodienſis & ſonat in hunc modum: In nomine &c. Zuentenbolchus divina præveniente gratia rex. Noverit... quoniam comes An-

Digitized by Google

Sub eodem Niumagæ quædam famula *secundum Legem Salicam*, *& ut lex Salica docet* manumittitur.

Sæculo X Carolus simplex servum Anselium secundum Legem Salicam a jugo servitutis liberum facit.

An. 950. Fulquinus *per festucam*, (secundum Legem Salicam (*a*)), quædam bona confert Abbatiæ Gemblacensi.

An. 952. Otto M. Legem Salicam suis additionibus auxit, & in Comitiis Stelensibus rem dubiam, ut Leges Ripuariæ dictant duello decidi jussit.

An. 957. Regimbaldus Chorepiscopus Monasterio Gorziensi *per manus fidelium suarum Lege Salica viventium* plura donavit.

An. 993. Frethebaldus Canonicis Ultrajectinis agros, prata &c. *cum ramo & cespite* (secundum Legem Salicam) donat.

Sæculo XI eadem testimonia occurrunt; anno enim 1031 Concilium Lemovicense sess. 2. Legis Salicæ auctoritatem adducit, *lex*, inquit, *Salica continet ut ubicumque* servi Dominus voluerit, potest relaxare.

Conrardus Imp. *Salicus* dictus qui obiit Trajecti an.

(3) Charta apud Wendelin: in Gloss. sal f. 180 edit. Antv. 1649.

(4) Bignon: in not. ad leg. sal. apud Baluz. t. 2 Cap. Col. 839 edit. Paris 1677.

(5) V. Molan. de Can. f. 308 edit. Col. 1887.

(6) V. mir. op. dip. t. 1. f. 140. adn. edit. Lov. 1723.

(1) V. Wendelin: in Gloss. sal. f. 179 edit. Antv. 1649.

(2) Vide supra Not. C.

(3) V. du Cange V. manumissio.

Anno quoque millesimo nono & trigesimo occubuit Imperator Cunradus Legis amator. Wippo in ejus vita collecta Pistorii f. 443 edit. Francof. 1607.

---

gelramus quædam sua mancipia his nominibus Guodrudam, Erkermarum, Unstrivinum nobis in proprium tradidit ut ea... ingenua fecissemus, cujus petitioni acquiescentes *secundum Legem Salicam* denarium de manu Episcopi (Leodiensis) excussimus & sic ea à servitutis vinculo liberavimus. In Gloss. Sal. f. 159 edit. ut sup. 1649 actum Diostæ V. Idus Jan. 898.

(*c*) Ex Lege Salica. tit. 48 49 ut etiam apertè charta an. 1109 docet: secundum *Legem nostram Salicam* per cultellum, *festucum* nodatum... guasonem terræ atq. ramum arboris... vestituram facimus. Chifflet in Vind. Hispan. f. 249 edit. Antv. 1650 & alia an. 1121 „ secundum *Legem nostram Salicam* per cultellum, *festucam nodatam*, quantonem & *quasanonem terræ atq. ramum arboris*... vestituram facimus. Glos. du Cange V. chirotheca fol. 1098 edit. Francof. 1710 V. etiam Wendel. in Glos. V. festuca.

Digitized by Google

1039,.. non nisi ex genitorum suorum Saliorum (*a*) vel propria Legis hujus observantia ita dictus putatur.

(4) V. Miræum t. 2 dip. f. 1145 edit. 2dæ. Lov. 1723.

Balduinus Kalderuns Abbatiæ Aquicinctinæ campos & pascua quædam offerens *per ramum & cespitem* Legis Salicæ cautionem secutus est an. 1096.

(5) Mir. t. 1 dipl. f. 698.

Sæculo XII observatæ Legis Salicæ nec sua exempla desunt. Fredericus namque imp. 1152 diplomate pro Abbate Stabulensi Comitem Namurçensem *Judicio maxime Salicorum* proclamatum memorat.

(6) Mir. ibid. t. 1 f. 700.

Et an. 1155 Ludovicus Comes Lossensis testatur diplomate prædium quoddam collatum Abbatiæ Averbodiensi *observata Salicæ Legis omni cautela.*

Otho etiam Frisingensis nobilissimos Francorum ea uti suo tempore apertissimè tradit (*b*); & in Luxemburgensi Comitatu Leges Salicas adhuc viguisse testis est Epistola conventus Epternaçensis ad Henricum VI imp. (*c*).

(*a*) Vid. Chron. Citizense fol. 771 Pistorii rerum German. script. t. 1 edit. Franc. 1613.

(*b*) Hac (Lege Salica) nobilissimi Francorum qui Salii dicuntur adhuc utuntur. Lib. 4 chron C. 32 fol. 52 verso edit. Argentorat. 1515.

(*c*) Illud (inquiunt in Epist.) summatim vestræ Celsitudini significari duximus de Lutzelburgensi comitatu, qui sint & quam nobiles, *ut pote Salicæ conditionis* & libertatis. apud Wendelin. in Glos. f. 181 ubi & plura videre est.

Plura exempla adferre observantiæ Legis Salicæ quirem; sed hæc pauca tantum illustrent quantum multa, hinc ea omittimus id solum addentes quod quamvis hæ Leges Salicæ & Ripuariæ fuerint quasi leges communes hujus patriæ, tamen apud plures incolas etiam viguerit & retentum fuerit jus consuetudinarium & nationale, uti ex pluribus huc usque subsistentibus consuetudinibus elucet & jam litteris demonstratum est superioribus annis: unde legum Frisicarum & Saxonicarum vestigia his in oris reperiri haud mirandum. Saxones enim huc translati permissi sunt, ut poeta canit, a Carolo M. *legibus uti* patriis uti omnes sub imperio degentes. Vide diplom. Othonis Imp. 996 apud Pontan. hist. Geld. L. 5 f. 73 edit. Hardev. 1639. V. etiam fastos Carolinos f. 49 edit. Francof. 1707.

Digitized by Google

1190. Joannes d'Orbais per *ramum* & *cespitem*, quædam confert abbatiæ Bonæ-Spei. Sæculis insequentibus ex Legibus Salicis quædam adhuc observata fuisse, quin usque in hodiernum diem ejus vestigia adhuc extare satis demonstrant, Choræ & modi alienationum, evictionum, inhæreditationum per *festucam*, ramum, cespitem, cultellum vel aliud instrumentum pluribus in locis adhuc observati : immo ipsa verba in instrumentis adeo communia *efusticavit*, *in laisum misit* & Flandrica *vertycht met halm en monde*, *met rus en rys*, Salicas redolent Leges. Quod latius expendit Wendelin Gloss. Sal. verbo *festuca*. Fol. 152. Edit. Antv. 1649.

Chron. Bonæ Spei fol. 131. edit. Bonæ Spei ann 1704.

Prætactæ ergo leges in Belgica viguerunt ad sæculum usque XII, dum ab usu cedere pluribus in locis cœperunt, & jam in aliquibus quasi recesserant; sed cum eæ leges insufficientes essent ut casus quotidie emergentes per eas decidi quirent & delicta cohiberentur, variæque aliæ sub Francorum dominatu vigerent leges, hinc eorum reges, Belgicæ ferè totius modo Aust. etiam supremi domini, Leges quasdam generales de communi populi & Cleri consensu condiderunt, quibus uti communiter omnes subscribebant, (*a*) ita communiter iis tenerentur. Hæ leges quod in certas sectiones & capita essent divisæ, capitularia fuerunt dictæ de quibus sit.

(*a*) Capitul. III an. 803 C. 19 » ut populus interrogetur de Capitulis quæ in lege noviter addita sunt & postquam omnes consenserint *subscriptiones* & *manufirmationes* suas in ipsis capitulis faciant.

V. Dict. raisonné Diplomatique verbo Capitul. edit. Paris. 1774 f. 223.

Digitized by Google

CAPUT VII.

De Capitularibus.

CAPITULARIUM Francorum regum, quorum fontes Codex Theodosianus, Pontificum Decreta & Conciliorum statuta, autoritas tam in ecclesiasticis quam civilibus ab eorum creatione multis retro substitit annis. Reges enim Francorum, dum nova condebant, etiam antiqua observata volebant (*a*). Sæculo vero IX ad finem vergente & X parum adulto, sensim ab usu recedere cœperunt, in tantum quidem ut sæculis XI & XII plu-

(*a*) Carolus Calvus in Edicto Pistensi an. 864 n. 1 volumus [inquit] ut nostra auctoritate quod *in Capitulari* prædecessorum nostrorum continetur subire cogantur. n. 2 » plena justitia inde fiat secundum quod in capitulari avi & patris nostri statutum habemus. apud Baluz. t. 2 Cap. fol. 175 edit. Parif. 1677.

Idem Rex in Capit. apud Carisiacum 877 conditis, ita fatur » *Capitula quæ avus...* sed & quæ nos... constituimus conservanda statuimus & manere inconvulsa decernimus. V. Baluz. in præfat. & t. 2. Cap. Col. 269.

An. 860 Episcopi plurimi & multi nobiles Confluentiæ congregati formulare fecerunt concordiæ inter Lotharium & Carolum reges: num. autem VII ejusdem form. ita statuitur » ut de rapinis ac depredationibus.... sicut Ecclesiasticæ Leges atque progenitorum *Capitula* continent ita in omnibus & ab omnibus conserventur. & N°. IX » ut alia capitula eorumdem progenitorum nostrorum de Sanctæ Ecclesiæ honore & immunitate ac conservatione, & de regis etiam honore & populi nobis commissi lege & justitia in omnibus & ab omnibus conserventur. Recueil de traités t. 1. pag. 9 edit. Amst. 1700 V. etiam Baron. t. 10 f. 190 edit. Antv. 1603.

Carolus simplex an. 921 in sua const. pro Episc. Tongrensi » sua damnatione contra omnia statuta tam sacrorum patrum quam regum videlicet antecessorum nostrorum usurpavit, de quibus in *libro regum Capitulari* apud Baluz. t. 2 Cap. Col. 295 edit Paris 1677.

Digitized by Google

ribus in locis vix fuerint cognita, uti ex Burchardi & Gratiani Decretis non obscurè eruitur; hi enim plura in suis decretis adscribunt Conciliis, quæ solis Capitularibus sunt adscribenda (*a*), quod facere non potuissent si eorum usus & notitia ad huc communiter substitisset: immo Burchardus quamvis circiter 670 capita in suum decretum intulerit ex Collectione Reginonis, qui centena ex Capitularibus adducit, ea tamen numquam tamquam ex Capitularibus sumpta citat, ut tamen Regino facit; attamen non ita ab usu recesserunt quin eorum reliquiæ sequentibus sæculis remanserint (*b*).

Capitularibus quoad plura a vigore pristino sæculo IX ab usu recedere incipientibus obscuro sæculo X, & turbido simul XI, dum quisque injurias sibi illatas armis ulciscendi facultatem sibi esse rebatur, dum strages hominum & rapinæ exercebantur, quasi innumeræ (*c*) & ita legum splendor non parum impietatis offuscabatur fumo, in qualibet civitate & commu-

Conqueritur an. 882 Karlomannus in hunc modum: placuit ut quædam capitula antecessorum renovarentur, quia ultra modum vilescunt atque pene adnullata existunt, præcipue illa &c. apud Baluz. t. 2 C. pag. 284 edit. Paris. 1677.

[*a*] Burchardus siquidem L. 2 C. 212. Decret. edit. Paris. an. 1549 fol. 74 verso tribuit Concilio Agathensi quæ Capitularibus conveniunt; idem L. 2 C. 59 f. 57 verso tribuit Conc. Rotomag. Lib. 2 C. 67 Conc. Nanet. quæ Capit. sunt propria; item Lib. 2 C. 82 & innumeris aliis locis eosdem errat errores ut conferenti patebit. Censent aliqui eum id studio egisse quod Francorum nomen minus gratum esset Germanis ævo quo scribebat Burchardus: interim, si omnino viguissent & nota fuissent Capitularia, parum hæc ejus industria profuisset. Videri potest van Espen tract. hist. Can. pag' 5. f. 460 & seq. edit. Leod. 1693. item Baluz. in præfat: ad edit. Reginonis Paris 1671. Gratianus Burchardum secutus in eosdem errores prolapsus est.

[*b*] Annis enim insequentibus adhuc mentio Capitularium occurrit & hæc ad partes vocantur, quod quidem videre est adhuc anno 1024 in causa inter Ermengaudum & Durandum. Vide Baluz. t. 2 Capit. p. 1222 & supra notam § f. 11 & 12.

[*c*] Adeo quidem ut in Gallicis oris publicè trevia firmata præ gaudio palmis ad cœlum extensis clamaretur pax, pax, pax, & in Conciliis eadem trevia statui debuerit, cui, quamvis initio Gerardus

Digitized by Google

nitate mores & usus emersêre novi, quibus ut legibus ut plurimum vivebant, & ex quibus deinde duces comites & domini quosdam ex æquitate vel arbitrio pro legibus admiserunt, & quibus pro majori suorum tranquillitate & bono novas, Salicis rigidiores, Romanis tamen parum conformes, addiderunt; atque ita Salicæ sensim in exilium fuere actæ, relictis vigoris sui dumtaxat vestigiis. Legum jam dictarum creationis, confirmationis vel vigoris annum indicemus.

Episcopus Cameracensis ob perjurii periculum restiterit, nihilominus aliorum Episcoporum adhortatibus subscripsit. V. Glos. du Cange V. Treuga & Concil. Narbon. an. 1054. Cap. 2 ubi » iterum mandamus atque confirmamus ipsam treugam Dei quæ a nobis dudum constituta fuerat & nunc a pravis hominibus disrupta esse videtur. t. 9 Conc. Lab. edit. Paris. 1671 pag. 1072.

Diploma Henrici III an. 1040 » tanta utique premebatur oppressione (Ecclesia Nivel.) dipl. Miræi t. 1 f. 660 edit. 2dæ Lov. 1723.

Diplom. Leonis IX. Pont. an. 1048 pro ead. Ecclesia Nivellensi quæ est quidem » affluens terrarum copiis sed miserrime perdita rabie indomitæ gentis. Miræus ibid. f. 662. Eadem exhibet Lambert. Schafn. de Rebus Germ. f. 187. in Collect. Pistorii edit. Franc. 1613. ubi Rex (Henricus Imp. ann. 1072) Pascha Trajecti celebravit, ubi dum populus vehementer obstreperet pro injuriis & calamitatibus quibus passim per totum regnum innocentes opprimebantur, pupilli & viduæ diripiebantur, monasteria & Ecclesiæ vastabantur & ruptis iniquitas habenis in omne quod voluisset facinus impune bacchabatur. Audi etiam Fulcardum Abbatem Lobiensem 1101 Modo inquit, habentur, in villis S. Petri mille advocati, immo raptores, in aliquibus 5. Crescentibus apud nos malis jam triginta annis apud Miræum t. 1 dipl. f. 673 edit. Lov. 1723.

CAPUT VIII.

De legibus Municipalibus quorumdam locorum Belgii sæculis XII & XIII conditis vel confirmatis.

QUAMQUAM post Capitularium abolitionem, plures ab imperatoribus emanârint Leges Belgium etiam spectantes, hæ ipsæ ut plurimum paulatim fuerunt abolitæ; undè principes nostri modo statim exposito ad legislationem se contulerunt jam a sæculo XI. Eo ad finem vergente, Balduinus Montanus jam Geraldi-Montem legibus firmavit. V. Mir. dipl. t. 1. f. 292. edit. Lov. 1723.

Circa 1040. Lambertus Lovaniensibus leges constituisse putatur. V. Gram. in Lov. f. 13. edit. 1708.

An. 1124. Antverpia suam jam habebat Communiam. V. Mir. t. 1. pag. 87. V. etiam memoriam Coronatam ill. Marchion. du Chasteler an. 1778. f. 65.

1127. Reperiuntur scriptæ consuetudines S. Audomari (*a*). Du Cange V. Communia.

1161. Furnenses jam suas habebant. V. Grammaye f. 146. edit. Lov. 1708.

1164 Philippus Alsatius Leges dedit Neoportuensibus. V. Gram. in Neoporto f. 122. edit. Lov. & quas anno 1168 ratas habuit; in quibus ex Lege Salica judicium ferri candentis adhuc permittitur. V. Delrio disq. mag. L. 4. f. 318. edit. Lugdun. an. 1608.

1174. Hanoniæ quædam communitates jam suas habebant leges & propria jura: Fredericus enim Imp.

(*a*) Guillielmus Comes Flandriæ eas confirmat ut videre est apud Mir. seu Foppens t. 4 dipl. f. 195 edit. Bruxel. 1748; ubi pœna modo occurrit talionis.

Digitized by Google

Abbati Alti-montis quædam relinquit agenda, *juxta tenorem legis & juris illius patriæ.* Mir. Lov. f. 544. edit. 2dæ Lov. 1723.

1175. Philippus Flandriæ comes *hominibus de Orcies* (ut litteræ sonant) *concessit libertatem & leges oppidi Duacensis.* Gram. in Orchiaco f. 212. edit. Lov. Duacum ergo legibus modo gaudebat propriis. (*a*)

1177. Philippus Aug. Communiam indulsit Tornacensibus. V. Du Cange in Gloss. V. Communia, & mem. cor. ill. Mar. du Chasteler, f. 64.

1178. Philippus Flandriæ comes communiam concessit Ariæ ibid.

1183. Flandria tota in aliquibus videtur recta lege communi. (*b*)

1203. Brabantia in pluribus gaudebat Jure speciali.

1211. Ludovicus Philippi Aug. filius communiam indulsit Atrebatensibus. V. du Cange Glos. V. Communia. Henricus dux Lovaniensibus novas condidit leges; quas vide apud Divæum l. 1. annal. Lov. f. 7. edit. Lov. 1757.

1213. Philippus Aug. promittit quod Duacenses sit relicturus in bonis suis consuetudinibus, ad quas Philippus Flandriæ comes eos tenuit, & quas jam ante an. 1175 tenuerant. V. Gram. in Duaco f. 207. edit. Lov. 1708.

1220. Hugo Castellanus Gandensis Leges dedit incolis de Mariekerke, in quibus n. XX statuit, quod

---

(*a*) Diploma concordiæ inter Henricum Ducem Lotharingiæ & Comitem Hollandiæ sonat in hæc verba » hæc bona concessit Dux Comiti *Jure Brabantino*, ita videlicet quod nullus hæres inde exhæreditabitur. Gram. in antiq. Bred. f. 11 edit. Lov. 1708.

(*b*)) Diploma Philippi Flandriæ Comitis » non solum jure Ecclesiastico sed *etiam lege totius curiæ Flandrensis...* perpetuo possideret. Mir. Not. Eccles. Belg. f. 457 edit. Antv. 1630.

Digitized by Google

quidquid præsentis paginæ forma non contineatur, relinquat scabinorum judicio terminandum. V. Lindan.

1228. Ferdinandus & Joanna Comites, Duacenses litteris legem & scabinagium confirmant. Gram. in Duaco f. 207.

1229. Cora Bruxellensis in qua pœna capitis pro homicidio statuta reperitur, atque adeo multum à Salicis & Rip. Legibus differens, confirmatur.

1231. Villa Arka suas jam habebat consuetudines & Leges ab Abbate S. Bertini. V. du Cange verbo *communia*.

1233. Robertus Flandriæ comes, Bethuniæ & Teneramundæ Dominus, leges iis civitatibus constituit & consuetudines confirmavit: quarum initium: *hæc est lex & consuetudo &c.* ubi art. XX & XXI pœna capitis & talionis reperitur statuta; & art. XXV scabini jubentur mercatoribus justitiam facere juxta *legem villæ* infra tertium vel saltem octavum diem. V. Lindan. in Teneram. f. 46. edit. Lov. 1708.

1250. Villa Comines legem jam suam habuit; immo *Legis patriæ* (Flandriæ) mentio occurrit in diplom. apud Mir. t. 2. f. 1231. edit. Lov. 1723.

1264. Robertus Teneramandæ Dominus convenit cum Canonicis Cameracensibus quod eorum scabini judicare tenerentur secundum legem & statuta hominum Domini Teneramundensis. L. f. 100.

1266. Idem Robertus Baserodanis suas dedit leges. Lind. l. 3. f. 69, eodem an. Florentius Hollandiæ comes Lugdunensibus privilegia & Leges concessit. Boxhorn Theat. Hollandiæ. f. 187 & seq. edit. Amst. 1632.

1292. Joannes I. Brabantiæ dux Antverpiensibus leges quasdam (anno enim 1124 communiam suam jam habebant) præscripsit, & consuetudines ratas habuit. Gram. in Antv. f. 25.

Digitized by Google

Multæ igitur, immo pleræque, (uti facile esset ostendere civitates & loca in Belgio jam sæculo XIII° suas habuerunt leges & consuetudines particulares, quibus vivebant modo & occasione (ut videtur) supra relatis conditas vel admissas; sed cum hæ insufficientes essent causis inter diversas communitates & subditos diversis legibus viventes occurentibus dirimendis & dijudicandis, atque pro majori membrorum connexione opus esset legibus aliquibus generalibus ad instar capitularium; hinc Principes nostri leges quasdam condere generales meditati sunt; idque pro Brabantis subditis suis intendisse fertur Henricus II. Brab. dux jam ante medium sæculi XIII; ast. an. 1247 naturæ fatis concedens provinciam illam testamento demandare debuit successori suo Henrico III°, qui eam exequi cupiens, morte præventus eamdem provinciam an. 1260, iterum testamento suo, quod fundamentum quasi Læti Introitus reputatur reliquit suo successori.

Joannes I, Lovanii inauguratus 1268 Privilegia Brabantorum confirmavit & voluntatem testamentariam patris, quoad particulares civitates quibus nedum integræ erant leges, executus est, novas particulares addendo vel antiquas confirmando: curis immortuo an. 1294, successit Joannes II, qui patris vestigiis insistens plures iterum civitates privilegiis donavit, & leges generales, atque fixum tribunal, (a) pro subditis suis

(a) Ante hæc enim principes non solum in palatiis suis judicabant, sed & Provincias obibant & *placita* ter in anno celebrare consueverant scabinis tamen communiter occurrentia judicantibus. Modus vero & forma horum judiciorum jam demonstrata fuerunt in coronatis memoriis 1776 & 1771. vide etiam diplom. Miræi f. 369 560 &c.

Digitized by Google

suis, ut prædecessores, meditans propositum suum partim perficere potuit, dum an. 1312. Cortebergæ solemnem (*a*) procerum ac legatorum urbium Brabantiæ conventum indixit, in quo plura generalia fuerunt constituta *tabulis* dictis *Cortebergensibus*, & art. quidem III earumdem statutum fuit quod illustrissimus dux subditis suis secundum cujusque civitatis jura justitiam sit administraturus: quem insequentes duces Joannes III an. 1313, Joanna 1355, Antonius 1406, & alii in hoc secuti sunt.

Sed heu dolor! fundamentis Legum illarum Brabanticarum vix jactis ill. Princeps cogitur duros letho finire labores; anno enim eod. 1312. 6 cal. Nov. è vivis excessit.

Successit Joannes III, sub quo iterum Cortebergæ conditæ fuere alteræ tabulæ, in quibus omnia privilegia, immunitates, promissa &c. à prædecessoribus suis facta confirmantur: in his tabulis (ex quibus quædam adhuc observantur) vix Romani juris vestigium est reperire; imo statuitur pro casibus illic non decisis recurrendum fore ad id quod simillimum est inter decisa, & indè decisionem formandam, nulla juris Romani facta mentione. An, ergo Jus Romanum Belgis Austriacis Brabantis huc usque incognitum & absque ulla auctoritate? Respondeo non esse consequens. Enim vero cum in dictis tabulis nihil statuatur vel disponatur de jure civili Romano, jus illud, ubi jam novæ conditæ & aliæ patriæ Leges & consuetudines pro

Extant apud Loyens & alios.

(*b*) Interfuerunt equites 35, proceres alii 23, & legati civitatum. In quo conventu jacta sunt fundamenta Celeberrimi Consilii Brab. quod nunc Bruxellis; attamen Consiliarii Cortebergenses consessus suos certo in loco tempore eorum creationis agere non tenebantur, id tantum videtur constitutum a Carolo audace 1467. V. Loyens de Concil. Brab.

Digitized by Google

decidendis occurrentibus causis & contractibus seu stipulationibus & donationibus formandis deficiebant vel non obstabant, auctoritatem, si quam acquisierat, retinuit: illam autem jam habuisse in Belgio Austriaco sæculo XIII, demonstrabimus, præmittentes pro majori elucidatione modum quo sibi viam in Belgium muniverit & auctoritatem conciliaverit.

CAPUT IX.

Juris Justinianei per Europam notitiæ ac auctoritatis propagatio.

Quamquam jus Justinianeum apud omnes ferè in Italia non parvam auctoritatem, uti & apud clericos in Belgio à sæculo IX habuerit, vix equidem obscuris & rudibus illis sæculis ullibi in scholis exponebatur ante sæculum XII: eo vero sæculo id in Scholas fuit reductum, & quidem primò id exponi cœpit in scholâ Bononiensi ab Irnerio seu Wernero, qui ex eo legum instaurator & *Lucerna juris* dici non sine ratione meruit. Studio juris ab eo restaurato, tantus mox undique Bononiam factus est concursus, etiam clericorum, ut incredibiliter auditoria juris fuerint frequentata, & studium theologicum negligentius propterea excoli cœperit, quæ causa fuit quod S. Bernardus (*a*) non solum parum benigne de jure Romano judicaverit, sed etiam de studio monachorum in addiscenda Jurispru-

(*a*) Ber. L. II ad Eugen. de consid. » quotidie perstrepunt in tuo palatio Leges sed Justiniani non domini; rectius etiam? istud tu videris: nam lex domini immaculata convertens animas: eæ autem non tam leges quam lites sunt & cavillationes. V. Brunquel.

Digitized by Google

dentia conquestus fuerit; & ven. Petrus Blesensis (a) (licet ipse Bononiæ aliquando juri incubuisset) clericos adhortatus sit, ut posthabito legum studio ad sacræ Theologiæ scholas mox convolent.

Wernerus non solum per seipsum, sed etiam per doctissimos suos discipulos Bononiam illustravit, & juri Justinianeo auctoritatem magnam conciliavit. Discipuli autem ejus celebriores fuerunt Martinus Gosia, Bulgarus, Jacobus & Ugolinus a porta Ravennate (b).

Hi quatuor viri celeberrimi celebres iterum habuère discipulos videlicet Ottonem Placentinum, Rogerium Pilæum, Albericum à porta Ravennate, Joannem Bossianum, &c. Hi eorumque discipuli Jurisprudentiam non solis Bononiæ mœnibus incluserunt, sed aliis etiam urbibus & regnis communicarunt; Rogerius quidem gente Longobardus, se contulit in Angliam (c) ibi-

---

[a] Epist. 40 » scitis quia lex domini lex immaculata convertens animas, Justiniani vero pervertit multos & gehennæ filios facit.... lege ergo quod ordini, quod professioni tuæ conveniat. & Epist. 26 » res plena discriminis est in clericis usus legum. in Biblioth. PP. t. 12 f. 815 & 725 edit. Colon. 1618.

(b) Hos Imp. Fredericus an. 1158 in campis Roncaliensibus in consilium adhibuit, & de his fertur Wernerus in extremis consultus a discipulis quem post mortem doctorem vellet super ipsos constitutum, sequens tulisse judicium.

Bulgarus os aureum, Martinus copia legum
Mens legum est Ugo, Jacobus id quod ego.

Sub his & post hos adeo accrevit studiosorum Bononiæ numerus ut tempore Azonis ad 10000 fuisse Odofredus tradat, quin etiam è sexu sequiori juris Cathedram ascendisse leguntur. V. Berti brev. hist. Eccl. t. 2 f. III. edit. Bassan. an. 1767. unde Chron. Citizense ad an. 1273 Bononiam *matrem studiosorum* apellat. fol. 813 edit. Francof. an. 1613. ex bibl. Pistorii.

( ) In Anglia etiam ab an. 1169. per plures subsequentes floruit Petrus Blesensis ad quem, dum in aula Episcopi Cantuariensis agebat.

Digitized by Google

Ita clarissimè tradit Robertus de Monte in append. ad Sigeb. quem vide in operib. venerab. Ab. Guiberti. edit. Paris. 1651 fol. 766.

L. 8 Polycrat. C. 23 in sup. bibl. PP. fol. 493 edit. Col. 1622 & eam in utroq. jure versatum patet L. 5 Polyc. C. 15 & 16. Item l. 6. Cef. f. 428 L. 7 C. 20 f. 449.

que jus Romanum professus est; & quamvis rex Stephanus jus Justinianeum ibi exponi prohibuisset, nihilominus *Deo faciente*, inquit *Sarisberiensis*, in utroque jure & ipse versatus, *eo magis virtus legis invaluit, quo eam amplius nitebatur impietas infirmare.*

Placentinus in Galliam secessit, docuitque in Montepessulano; alii Bononiæ edocti, Parisiis (*a*) Jus professi sunt, ubi studia adeò floruerunt sæculis XII & XIII, ut nec Romanis, nec Alexandrinis, nec Atheniensibus cederent (*b*).

Ex vicina Anglia, (*c*) Gallia, quin & Italia facilè

Laudunum etiam frequentabatur.

nodissimæ totius regni quæstiones deferebantur ut ipse testatur Epist. 6. in bibl. PP. t. 12 pag. 2 fol. 705 edit. Col. 1618. Ibi etiam ante an. 1169 jam floruerat Joannes Sarisberiensis qui Placentinum (de quo supra) *hospitem suum*, cum in Gallia degeret, vocat. Lib. 4. Policratici C. XI. in suppl. Bib. PP. f. 395 edit. Col. 1622.

(*a*) Ita satis constat ex Epist. 71 Petri Blesensis quâ litem Parisiis movendam circa an. 1170 de libro *Legum* empto sed non tradito, committit M. Ernaldo, ipsi ex codice & digestis leges plures pro suâ defensione indicens, in signum Parisiis jam secundum leges civiles Just. judicari; quarum notitiam non nisi Bononiæ potuerunt hausisse, qui Parisiis eas exponere cœperunt.

[*b*] Ita Rigordus tradit, & ipsi Belgæ testantur. Philippus enim de Herveng Abbas Bonæ-Spei, qui medium sæculi XII ipse Parisiis studiis excolebatur Epist. 3. f. 17 edit. Duac. 1621. ad Heraldum scribit in hunc modum: Tu amore ductus scientiæ Parisios advenisti. hic promptuarium (Salomonis) studiosis pulsantibus aperitur: hic ad pulsandum *tantus concursus* tanta frequentia clericorum ut contendat supergredi *numerosam multitudinem Laicorum*.. Et Epist. 4 ad Engelbertum fol. 18 plura de studiis Parisiensibus habet.

Est pagus juxta Montes Hannoniæ.

(*c*) In Angliam seu Britanniam Romanas Leges domus venerabilis P. Theobaldi Britanniarum Primatis adsciverat, inquit Sarisberiensis C. XXII policrat. in supp. bibl. PP. f. 493. edit. Col. 1622. ast. circa an. 1338 earum usum evanuisse Cap. VIII differt. ad Fletam solide demonstrat Seldenus, unde dici potest prius quam plerasque alias gentes Europeas & recepisse Jus Romanum Anglos, & eidem nuncium misisse.

Digitized by Google

potuit, juris notitia dimanare in Belgium. Belgica enim juventus Parisios sæculo XII & XIII tamquam ad mercatum sapientiæ confluere solebat, tanto quidem fructu ut multi sæculo XIII non solum ibi magno cum fructu discerent (*a*) sed etiam summa fama ibi docerent; (*b*) inde reduces in suam quique patriam, qui juri ibi incubuerant Juris Romani existimatione imbuti, ad officia & dignitates provecti instrumenta ad ejus juris regulas componere & inflectere cœperunt, & auctoritatem ei conciliare non omiserunt.

Ex Italia seu Bononia huc etiam adferri potuit juris Rom. notitia. Tempore enim expeditionum cruciatarum ex juventute Belgica quosdam studiorum causa Bononiæ remansisse vix est dubitandum, & cum Fre-

(*a*) Ibi studiis excolebantur magno cum fructu Thomas dictus Cantipratanus natus Lewis juxta Bruxellas.

Henricus de Calstris Lovaniensis. V, D. Paquot Mémoire pour servir à l'histoire &c. t. 9 f. 228.

Balduinus de Tornaco. D. Paquot ibid. t. X. fol. 23.
Egidius de Sotteghem. Diploma apud van Gestel
Guillielmus de Tornaco V. Paquot. t. XI. f. 279.
Sibertus de Beka Gelder V. Paquot. t. XVII f. 318.

{ Joannes filius Guidonis Flandriæ & Namurci Comes Decretorum Doctor circa an. 1268. Annales Præmonst. t. 1 f. 277 edit. Nanc. 1734. }

(*b*) Ibi docuerunt magna fama Alanus de Insulis dictus *Doctor Universalis* bibl. Belg. Val. and. f. 125 edit. Lov. 1723.

Simon de Tornaco. Trithem. de script. Eccl. f. 195 edit. Col. 1546. Swerts Athen. Belg. fol. 677 edit. 1628.

Jacobus Atrebas. Swerts. loc. cit. fol. 354.

Egidius de Lessenia in omni doctrina celebris V. Paquot t. II f. 73.

Henricus a Gandavo *Doctor solemnis* appellatus V. Chron. Citizense t. 1 fol. 478.

In initio sæculi XIII Bochartus Avesnensis Aurelianis jam jus Civile exposuit, unde doctrinam quam in Galliâ hauserant & ibi etiam professi fuerant sive Theologicam sive juridicam ad proprios lares remeantes contribulibus suis certo etiam communicarunt.

Digitized by Google

dericus Imp. plura Privilegia constituerit (*a*) pro peregrinis studiorum causa se Bononiam conferentibus, certo Belgæ æque ac Germani his frui conati sunt. Quid? cum tabulæ Ecclesiæ Leodiensis, teste Molano (*b*), plures ex Canonicis suis jam ante medium sæculi XII. Decretorum & legum Doctores exhibeant, hanc dignitatem non nisi Bononiæ assequi potuerunt: verum harum auctoritas videtur suspecta (*c*).

Ex ipsis etiam Gallis quidam juris utriusque periti in Belgium se contulerunt jam sæculo XII; nam Stephanus (*d*) Abbas S. Genofevæ jurisperitus circa an. 1192. factus est Episcopus Tornacensis, qui pro juris Romani æquitate certo quoquo potuit modo ejus notitiam & auctoritatem inducere non omisit. Immo id hoc sæculo XII, pluribus congnitum & auctoritatem quamdam nactum, instrumenta & facta publica innuunt; nam an. 1184. Philippus Flandriæ comes, &

(*a*) Vide *auth. habita* C. ne filius pro patre. Idem certo Imperator non parum Juris Civilis studium promovit ut ipse etiam apud Radevicum L. II. C. 5 testatur; nostis (inquit) quod jura civilia nostris beneficiis in summum provecta firmata ac moribus utentium adprobata, satis habeant roboris.

Vide etiam magnum Chron. Belg. f. 156 edit. Francof. 1607. rer. germ. script. Pistorii

(*b*) Lib. 2 de Canon. edit. Col. 1687 fol. 195.

(*c*) Ante annum enim 1151 gradus academici videntur orbi fuisse ignoti, eo vero videntur pro studiorum incitamento instituti V. Pagium ad an. 1151.

(*d*) Eum jurisperitum fuisse ex ejus Epist. 1. 2. in bibl. PP. t. 12 pag. 2 edit. Col. 1618. fol. 494 & 495. Item ex Epist. 12. f. 497. Epist. 15. f. 498. Epist. 23. f. 499 (Epist. 132. f. 518) Epist. 172. f. 529 eruitur. Immo Bononiæ studuisse ejus Epist. 222. f. 540. non obscure innuit, uti & Epist. 24 f. 499 qua scribens Alberico de porta Ravennate (qui Bononiæ florebat) . . . . ejus absentiam recolit: eum & commentarium in Gratiani Decretum edidisse sunt qui tradant.

Plura alia hoc sæculo vestigia Juris Rom. videre est in Chron. Bonæ Spei edit. 1704. f. 164, 165, 166, 199, 251 & in diplomatibus a Miræo & Foppens Collectis ex quibus quædam tantum selegimus hic posita.

Digitized by Google

Philippus Franciæ rex allegatis juris Romani rationibus ut duo jurisperiti contendunt apud Wil. Brit. & comes primo urget patrem sibi castra donasse quæ jam Rex repetat atque inde colligit se in iis jus in reconsecutum. Hinc V. 40.

His veris titulis mihi jus adquiritur in re
Quam repetis.

Deinde addit se possessorem ne edere quidem titulum teneri, tam diu rem habiturum, quam diu rex illam suam esse, nondum probaverit § 4. *inst. de interd.* eo pertinent v. 45 seq.

V. Heineccium hist. J. L. 2. f. 52. Lug. Bat. 1747 ubi hæc latius exhibentur.

Esto quod nullum jus sit mihi rebus in istis,
Ut loquar absque meæ præjudicio rationis,
Possideo tamen hæc, per te quas tuumque parentem.
Jusque mihi defendit in his possessio sola.
Nam possessorem compelli dicere, quo rem
Possideat titulo, nimis incivile videtur.

Præterea se jam Res illas usucepisse contendit. v. 52 & seq.

Quum res a dominis licitè data sit mihi veris.
Sic *bona* nempe *fides*, *titulus*, sic *justus* ab omni
Excusat culpâ nostri fundamina juris.

Denique nec id omittit neminem sine facto & culpâ suâ dominium amittere debere. v. 55 seq.

Nec tibi jus nescire licet quod nemo sibi rem.
Juste collatam, sine culpa amittere debet.

Sic & rex Comiti ex Jure Romano obvertit exceptiones varias v. 9. possidere comitem precario: v. 60. seq. se quidem illi diploma dedisse; sed adhuc minorennem: v. 63. Comiti igitur Flandriæ Jus Civile Romanum fuit notum & pro sua causa contra regem adhibitum.

An. 1190 idem Comes confirmans Privilegia Ab-

Digitized by Google

batiæ S. Bertini in Diplomate meminit longissimi temporis præscriptionis. Mir. t. 2 f. 133 edit. Lov. 1723.

Vix tamen alia clariora monumenta Juris Justin. notitiam & auctoritatem aliquam ad laicos sæculo jam XII in Belgium penetrasse testantia, reperire potui, & quidem hæc ipsa non videntur adeo firma ut adstruamus Comitem Flandriæ juris istius auctoritatem omnino agnovisse atque veneratum pro terris sibi subditis; nam præterquam quod Guillielmus Brito scripserit sæculo XIII jam incœpto, dum jam major Juris Rom. habebatur notitia & hoc poeticè ex propria legum notitia aliqualiter potuerit disponere, potuit etiam Comes ad Jura Romana recurrisse, ut regem propriis quasi jugularet armis, dum ex Jure Rom. quod in ejus regno jam magnam obtinebat auctoritatem, probaret sibi competere, quæ rex repetebat quamvis revera Comes in Flandria, & terris suis illud non recognosceret.

Insequenti vero sæculo XIII auctoritatem non parvam obtinuisse ubi patriæ leges, consuetudines & mores non obstabant vel deficiebant, testimonia & monumenta quæ extant omnino evincere videntur: interim nullo publico Principum vel Comitum edicto vel placito auctoritas ejus hoc sæculo reperitur statuta, sed tacito tantum principum & subditorum consensu introducta, & admissa modo supra exposito. Testimonia & monumenta ergo producamus.

CAPUT

CAPUT X.

Juris Romani Civilis Just. in Belgio Austriaco vestigia, cautiones & testimonia ejusdem vigorem & receptionem demonstrantia.

LICET aliqualis Juris utriusque vigor quasi per totum Orbem Catholicum in Concilio Lateranensi IV, an. 1215 Can. 38, 39 & 41 supponatur, ut tamen hujus juris aliqualis receptio ex ipsius Belgii Austriaci & viciniæ monumentis pateat, ex pluribus sequentia ponimus.

Vide Cabassut Notit. Eccl. hist. Conc. f. 436 edit. Lug. 1680.

An. 1209, coram Episcopo Tornacensi reperimus *litem* contestatam, testes auditos, & partium attestationes publicatas &c. v. Mir. dipl. t. 2. f. 985, edit. Lov. 1723.

1212. Philippus Marchio Namurcensis partim ad Juris Romani regulas condidit, constituens quatuor Abbates testamenti sui procuratores, & executores.... v. Mir. t. 1. dip. f. 298. edit. cit.

1215. Leonius de Bruxella & ejus uxor legant Ecclesiæ Anderlechtensi decimam quam possidebant. van Gestel Hist. Epis. Mechl. t. 2. f. 51. edit. Hag. Com. 1725, & eodem coram Henrico Duce Loth. fit *compromissum in arbitros*... M S. Abbatiæ Tongerloensis atque etiam de *Juris peritissimorum* Consilio quædam statuuntur. Miræi dipl. t. 3. f. 78.

1227. Henricus Brabantiæ dux confert Abbatiæ Parchensi jus patronatus Ecclesiæ Furanæ habito tractatu cum viris prudentibus, & *juris peritis*.... Dipl. apud van Gestel, t. 2. fol. 66.

1231. H. Comes Barrensis in pactis dotalibus cum

Digitized by Google

Margaretha Luceburgica initis, quædam decernenda esse monet per duos Doctores... Heinec hist. Juris l. 2. fol. 60. edit. Lugd. 1748. Miræus tom. 1. dipl. fol. 306. edit. Lov. 1723 legit *Dictores.*

1232. Balduinus de Alost *renuntiat omni juris auxilio*, quoad decimas. De Brust.... Dipl. apud van Gestel, t. 2. f. 274. hist. Episc. Mechlin.

1233. Lis solemniter contestata per sententiam diffinitivam terminatur.... Chron. bonæ spei. edit. 1704. ibid. f. 157.

1234. E. de Brania com. Archidiaconus Antverp. in instrumento Tongerloæ confecto aliud approbat *jurisperitorum communicato concilio*... M S. Tongerloense eodem anno condemnatio asseritur facienda *secundum jura civilia*. Dipl. Mir. t. 4. f. 237.

1240. Diploma Arnoldi de Wesemale mentionem facit *donationis propter nuptias*. Mir. t. 1. f. 580.

1241. Testamentum Machtildis Comitissæ Boloniensis conditur ad Juris Rom. regulas. Mir. t. f. 314.

1244. Joanna Flandriæ & Hannoniæ Comitissa etiam ad Juris Rom. normam suum condidit testamentum in quo ita disponit: » condo testamentum sub formâ » subscriptâ & volo quod valeat ut testamentum, quod » si non potest, valeat ut Codicillum, vel sicut extre- » ma dispositio decedentis. In primis volo &c adduntur Testamentarii, testes subscripti & subsignati & executores nominantur Magister Gerardus & Magister de Brug &c.

Recueil des Traités. t. 1. f. 68. édit. Amst. 1700.

1246. Godefridus de Breda ad eamdem normam suum condidit testamentum constitutis *executoribus* cum potestate subdelegandi.

1247. Arnoldus de Wesemael resignat capitulo Trajectensi... ad opus primogeniti sui Arnoldi & ejus

Digitized by Google

uxoris Elizabeth *in donationem propter nuptias* certa bona &c. MS. Tongerl.

1248. Hugo Abbas Lætienſis & Petrus Epiſcopus Catalaunenſis de *Juriſperitorum Conſilio* quoſdam declarant legitimè natos.. Mir. t. 1. f. 206.

1250. Teſtamentum A. de Zellaer ad Juris Rom. regulas confectum eſt... Mir. t. 2. f. 997.

1253. Arnoldus de Weſemale *inter vivos* donat ſuâ ſponte duas partes majoris decimæ. MS. Tongerl.

Item *inter vivos* & præſentes juspatronatus de Oelne & Weſterloo. Mir. t. 1. f. 424.

1255. Henricus Dominus de Bouterzem cum minorennis quædam monialibus Inſulæ ducis contuliſſet, timens ne hoc prætextu collatio aliquando infirmaretur, majorennis eam confirmat. v. van Geſtel t. f. 211.

1257 Inſtrumentum Dieſtemii confectum Juris Rom. exceptiones non ſolum rejicit, ſed regulas etiam ſequitur: » prædicta, inquit, poſſidenda (erunt) » ſine aliquâ aliâ traditione vel juris ſeu conſuetudinis » ſolemnitate «... & præmiſſa valere voluit... donator per modum & *cauſa donationis inter vivos* ſine aliqua ſpe in poſterum revocandi, ſeu quocumque alio modo firmiori qui de jure vel conſuetudine valere poterunt. MS. Tongerloenſe.

1261 Hildegundis Abbatiſſa Thorenſis quædam donavit de *Conſilio Juriſperitorum.* Grammaye in antiquit. Bred. f. 9 edit, Lov. 1708.

Eodem an. coram Aleyde Brab. duciſſa fit *donatio inter vivos.* Diplom. Mir. t. 4. f. 719 edit. Bruxel. an. 1748.

1264 Inſtrumentum quo Abbatia Tongerloenſis acquirit decimas in Rethy juris utriuſque cautiones & leges exhibet notiſſimas » renuntiamus inquiunt contrahentes, tacitè & expreſsè beneficio reſtitutionis

Digitized by Google

in integrum per quod minoribus & Ecclesiis solet subveniri, & etiam beneficio per quod nos & nostri successores possemus, vellemus, deberemus dicere seu opponere nos fuisse deceptos ultra medietatem justi prætii, & omnibus aliis exceptionibus seu juribus vel beneficiis quibuscumque a jure *canonico & legali* concessis. M S. Tongerl.

1266 Diploma pro confraternitate inter Ecclesiam Leodiensem & Virdunensem Juris Rom. has cautiones adhibet: » & nos renuntiamus... privilegio clericatus » & fori consuetudini & statuto, beneficio restitutionis.. » in integrum constitutioni de duabus dietis & omnibus » exceptionibus generalibus & specialibus. Miræi dipl. t. 2 f. 863.

1267 Henricus primogenitus Henrici Ducis Brab. cedit Joanni fratri suo *donatione inter vivos* omne jus quod habebat: Richardus Rex Rom. approbans cessionem in instrumento ita fatur: Henricus ab omni emancipationis tutela totaliter & secundum *consuetudinem* terræ Brabantinæ tam provectæ existens ætatis ut suam hæreditatem gerere & in ea ministrare potuerit absque tutoris sive mamburditoris auxilio.

Recueil de Traités f. 80 edit. Amst. 1700.

1272 Hugo Burgundiæ Dux in litteris ad Franciæ regem ita loquitur: volentes facere gratiam specialem ipsi Roberto emancipato a nobis legitime dictum ducatum (Burgundiæ) *donatione inter vivos*, insinuatione præmissa solemniter confirmamus. *Recueil de traités f. 84.*

1273 Maria domina de Ninive *legat* Abbatiæ Ninoviensi 10 libras, & aliis *alia legata* constituens *executores* testamenti sui Abbatem & priorem vallis regiæ. Chron. M S. Ninoviense.

1272 Joannes de Berthout vendens quædam bona Religiosis Tongerloensibus in instrumento ita loquitur:

Digitized by Google

Rogamus illustrissimum dominum nostrum... ut prædictos tueatur... renuntiantes omni privilegio *Canonico & Civili* Crucis sumptæ vel sumendæ, omnibus exceptionibus... ac juri illi quo cavetur generalem renuntiationem &c. M S. Tongerl.

1277 In Contractu inter Abbat: Tongerl. & Capitulum S. Joannis in Leodio, Canonici renuntiant ut loquuntur: » exceptioni fori mali doli, & ne possemus » (inquiunt) dicere nos ultra dimidium justi pretii seu » aliquo illicito contractu vel a jure prohibito esse de- » ceptos..... Item renuntiamus omnibus exceptionibus » communibus & specialibus juris communis canonici » vel civilis defensionibus, rationibus & omnibus aliis exceptionibus. M S. Tongerl.

1279 Juri utrique renuntiatur solemniter a sororibus hospitalis S. Oberti. dipl. Mir. t. 3 f. 138 edit. Brux. 1734.

1280 Instrumentum venditionis oppidi Rothnacensis & aliarum terrarum Guidoni Flandriæ Comiti Juris Rom. cautiones exhibet clarissimas » renuntiamus (inquiunt vendentes) specialiter & expressè exceptioni » rei non venditæ, pretii non soluti aut pecuniæ non » numeratæ.. beneficio restitutionis in integrum... & ei » quod dici posset de facto nos deceptos esse seu læsos » ultra dimidium justi pretii... exceptioni doli mali, vis » metus in factum, constitutioni de duabus dietis... re- » nuntiantes etiam omni auxilio facti & Juris Canonici » & Civilis & omnibus exceptionibus, defensionibus » & subterfugiis.. renuntiamus etiam specialiter & ex- » pressè juri dicenti generalem renuntiationem non » valere. Mir. t. 2 dip. f. 1011 edit. Lov. 1723.

1284 Walterus de Zurle cedens quædam bona Abbatiæ Tongerl. cautiones Juris Rom. adfert in hunc modum: » renuntians omni exceptioni doli, mali vis, » metus, omni privilegio & juris beneficio, & statuto

Digitized by Google

» jam edito vel edendo, omni exceptioni &c. M. S.
» Tongerl.

1283 Joannes I. Brab. Dux: quædam bona vendens Abbatiæ *Val Dieu* in diplomate Juris Rom. vernaculè meminit in hæc verba: *renonchons entierement & expressément à toutes exceptions & aultres droits de saincte Eglise & de siecle, & à tous privileges & graces impétrés ou à impétrer qui nous pourroient valoir*, &c. dipl. Mir. t. 3 f. 139.

1291 Raso de Gaveren in diplomate confirmationis donationis & venditionis a suis prædecessoribus factarum Abbatiæ S. Bernardi renuntiat » omni juris » auxilio Canonici pariter ac Civilis cum omnibus *consuetudinibus patriæ*. V. Grammaye antiq. Bred. f. 45.

1292 Robertus de Grimbergis & Maria ejus uxor donant præfatæ Abbatiæ in puram Eleemosynam *donatione inter vivos* decimam de Opdorp... dipl. apud van Gestel t. 1 f. 109 edit Hagæ Com. 1725.

1294. Fit renuntiatio solemnis omnibus exceptionibus & de decimis de Geel. Mirei. Dipl. t. 3. f. 613.

1297 In Diplomate Episcopi Leodiensis erigentis Ecclesiam S. Joannis in Diest in collegiatam dicitur id factum de consilio *jurisperitorum*... van Gestel ibid. t. f. 236.

Item Joannis II Brab. ducis pro Abbatia Grimbergensis Dominii *utilis & directi* fit mentio... Annal. Præm. t. 1 f. 618 edit Nanc. an. 1734.

1298 Raso de Gaveren convocat homines suos feodales coram scabinis ut dicerent quid ad eum & hæredes ejus ratione domini superioris debeat *de jure secundum consuetudinem* (verba sunt diplomatis) & legem terræ nostræ de Breda pertinere. At illi (pergit diploma) unanimiter exeuntes & super hoc consilium habentes, diligentique indagatione præhabita, inspectisque litteris eorumdem religiosorum (Abb. S.

Bernardi) quas de dictis bonis habebant & *præscriptione juris*, quod ab antiquo *præscripserunt*, redierunt & unanimi consensu suam sententiam & suum judicium protulerunt in hunc modum (conformem Juri Rom.) quod dicti Religiosi... tum ratione litterarum suarum... tum ratione juris quod sibi *usu longissimi temporis præscripserunt* tenentur & in perpetuum tenebuntur habere in omnibus suis bonis prædictis omnes justitias, jurisdictiones &c. Item Mir. dipl. t. 2. f. 875.

1298 Nec ducibus Brabantiæ incognitum, nam supra an. 1283 Joannes I, & hoc 1298 Joannes II emens ab Abbate & Conventu Florinensi 50 bonaria terræ, & medietatem molendini in Orpio magno (*Orp-le-grand*) Fland. *Adorp* in instrumento eâ de re confecto, curavit excludi omnia privilegia juris quibus dicta venditio posset infringi, Abbate loquente in hunc modum : » nos Abbas recognoscimus... & renuntiamus in contractu prædicto exceptioni doli mali, pecuniæ non numeratæ, non solutioni, non traditioni, beneficio restitutionis in integrum & authent. *hoc jus porrectum* & illius Canonis XII. Q. II. sine exceptione, » conditionibus & sine causam ob turpem causam in- » debiti, & ne possimus dicere nos & nostrum mona- » sterium prædictum esse deceptos... ultra dimidium » justi pretii (renuntiamus) omnibus actionibus, excep- » tionibus defensionibus... omnique juris auxilio tam » *Canonici* quam *Civilis* per quod præsens contractus » irritari, rescindi & nullus declarari posset, in toto » vel in parte. Datum 1298 dominica ante purificatio- » nem. M S. Tongerloense.

Gram. antiq. Bred. f. 46 & 47 edit. Lov. 1708.

1301 Libet adhuc adferre chartam præcedenti similem, Juris Romani vigoris non minimam testem pro comitatu Hannoniæ: an. namque 1301 dum Abbas Florinensis vendidit Abbati Bonæ Spei alia

bona sua in Orpio magno finis instrumenti sonat hoc modo: » *quantum ad* hæc omnia renuntiamus exceptioni doli mali, pecuniæ non numeratæ, non solutæ » & non traditæ, beneficio restitutionis in integrum, » authent: *hoc jus porrectum*, & illius *Canonis* XII Q. II. » *sine exceptione* conditionibusque, sine causa, ob turpem » *causam* indebiti, & ne possimus nos dicere esse deceptos.. ultra *dimidium* justi pretii, & omnibus actioni» bus, defensionibus, omnique juris *auxilio* tam Canonici » quam Civilis, & actioni infim. etiam si sint aliqua » talia de quibus oporteret fieri mentionem." M S. Tongerl. similem omnino renuntiationem &c. Vide ad an. 1300. in Chron. Bonæ Spei f. 252 edit. Bonæ Spei. 1704.

Conclusio & Responsum ad Quæstionem propositam ex testimoniis allegatis.

HÆC monumenta, quorum multo plura, si otium & instituti ratio permitteret, accumulare possem, satis mihi stabilire videntur Jus Romanum Justinianeum & Pontif. per totum quasi Belgium Austriacum sæculo XIII non modo cognitum fuisse, sed post mores seu consuetudines patrias & constitutiones Principum, Comitum aliorumque superiorum, auctoritatem obtinuisse, idque non ex aliqua publica superiorum seu Principum Constitutione, sed ex populi ac principum tacita acceptatione. Ut quid enim hoc sæculo si auctoritatem non obtinuisset, instrumenta potius condita reperiuntur ad juris illius stylum quam antiquum consuetum? Ut quid novæ donationum & alienationum formulæ è Jure Romano petitæ? Ut quid tam providæ & scrupulosæ renuntiationes utrique juri Romano & legum expressa nominatio? Quare Principes ipsi rogantur tueri eos qui tali juri renuntiant? (Supra fol. 25.

an.

Digitized by Google

an. 1272. . Si in eorum terris non obtineret? Ut quid ipsi principes solliciti & providi fuerunt in suis contractibus v. f. 26. an. 1283, 1298, 1301 &c. ut renuntiationes isti fierent tam scrupulose, si auctoritatem non obtineret? Ut quid testamenta sua potius ad Juris Romani Regulas (v. f. 24. an. 1212, 1244). quam consueto antea stylo condiderunt, si illud non venerarentur?

Viguit igitur, & post leges patrias auctoritatem praecipue obtinuit saeculo XIII dum jam saeculo XII, sui notitiam in plures Belgii provincias diffuderat & quidem in plerisque Belgii Austriaci provinciis viguisse adducta monumenta demonstrant; pro Brabantia enim extant, supra fol. 24 &c. testimonia an. 1215, 1227, 1234, 1240, 1250, 1253, 1257, 1264, 1267, 1272, 1277, 1284, 1291. 1292, 1297, 1298.

Pro Hannonia 1244, 1248, 1301, etiam centies ejus authoritas ostenditur in Chron. Bonae spei; pro Flandria 1209, 1244, 1273, 1280; vide plura alia testimonia pro Flandria in Dip. Mir. t. 3. f. 423, 425, 138, t. 4. f. 37, 47 &c.; pro Namur: 1212 &c. pro Luxemburgis 1231. Plura occurrunt apud. Mir. t. 4. dipl. f. 721, 241, &c.

Verum cum supra diximus in tabulis Cortebergensibus conditis 1312 & 1313, vix inveniri Juris Romani vestigium, immo illic remitti pro casibus illic non decisis non ad Jus Romanum, sed ad casus decidendis similes, ut ex eorum argumento, & ratione decisio fiat, dubium suboriri posset, utrum Jus Rom. auctoritatem suam, quam jam saeculo XIII obtinuisse in Brabantia demonstraverimus, per eas non amiserit. Ut hoc tollatur, resp. ut supra f. 20. Cui accedit quod ipse dux Joannes II (sub quo conditae sunt tabulae 1312) in contractu an. 1298, (supra fol. 26), cautiones Juris Romani adhibitas vo-

Digitized by Google

luit, si autem auctoritatem Juris Rom. tollere voluisset, certo id expresse statuisset (*a*) & cautiones dictas omisisset. Sed quod rem omnino conficit statim post conditas tabulas monumenta infinita, & centies plura occurrunt, auctoritatem Juris Rom. substitisse & remansisse testantia. Pauca tantum exhibeamus.

1315. Joannes Dictus Brabant & ejus uxor Beatrix *donatione inter vivos* cedunt quædam bona Abbatiæ Tongerloensi; quorum Litteræ Flandricæ sonant in hunc modum: *wi Maeken cont.... dat Jan die men noemt Brabant... hebben opghedraghen vrileke en gheghevon in puere simpelre ghiften voor levende:* renuntiantes (pergit jam instrumentum latinè) exceptioni D. Adriani & novarum constitutionum &. dicta Beatrix exceptioni actionis in dotem & propter dotem, & etiam dicti conjuges & eorum filius Egidius renuntiaverunt omnibus aliis exceptionibus tam juris quam facti. 13 Novembris. M S. Tongerl.

1316. *Donationes inter vivos* occurrunt centenæ.

1324. Arnoldus de Diest cedens donatione inter vivos quædam bona Abbatiæ Tongerl. renuntiat omnibus exceptionibus juris & facti, & omni legum auxilio promittens fide præstita loco Juramenti &c. M S. Tongerl.

1330. Lambertus de Darnestal, Walterus & Ada dederunt *donatione inter vivos* Abbati bonæ spei (in Hannonia) Domum & Curtem in Orpio magno (*Orp. le Grand*) renuntiantes exceptioni doli mali, fori, circumventionis, , læsionis & omnibus aliis tam juris quam facti exceptionibus. M S. Tongerl.

(*a*) Ad hæc refert Grotius in Isagoge juris Hol. L. 1 C. 2 judices apud majores nostros jurare solitos præter leges patrias se jus dicturos secundum meliorem rationem quam sua Religio & discretio suggereret, ex quo infert non inventa generatim majori æquitate quam Legum Rom. eas a judicibus esse pedetentim receptas. V. Zyp. Not. Juris Belg. L. 1 f. 17 & 18 edit. Antv. an. 1675.

Digitized by Google

1330. Eodem an. Giselbertus van Aweghe cessit omni juri partis hæreditatis ad eum devolutæ... Promittens quod contra præmissa ... non veniet in futurum, renuntians omni exceptioni deceptionis ultra dimidium justi pretii, doli mali in Fraudem actioni & cuilebet alii beneficio juris canonici & civilis.

1333. Adolphus Episcopus Leodiensis Mechliniam vendens Ludovico Flandriæ Comiti in instrumento plures inseruit Juris Rom. flosculos & cautiones: *oppidum* (inquit) cum *mero mixto imperio*... vendidimus renuntiantes in hoc facto exceptioni doli mali, vis metus circonventionis, rei non gestæ... Non observatis *Authenticis*.: hoc jus porrectum legi jubemus capitulo sine exceptione constitutioni: hoc consultissimo, restitutioni in integrum... juri dicenti renuntiationem generalem non valere &c. Ludovicus acceptat venditionem sub eisdem cautelis.

V. Van Gestel Hist. Mech. fol. 14 & 15.

Hæc sufficiant ut Juris Rom. auctoritatem in Brabantia & alibi substitisse sæculo XIV pateat, immo firmatam. Farraginem alioquin hujus rei testimoniorum adferre possem & qui his non convincitur, videat Phil. de Leydis. Hic decretorum Doctor sæculo XIV testatur in quolibet bono oppido per principem jam suo tempore statum unum juris peritum in Francia, Anglia & Flandria, cujus providentia deciderentur singula. Apud Heineccium hist. Jur. Civ. in præfat. edit. Lugd. Bat. 1748. Porro strepitus forensis, processuum actus & testimonia ad Romani Juris Regulas ornata quibus jam præluserant clerici sæculo XIII & XII, tantum videntur apud laicos invaluisse sæculo XIV, causis in placitis generalibus (*a*), vel per scabinos sine

(*a*) V. Coronatas memorias an. 1776 quibus exhibetur modus & ordo quib. judicia &c. exercebantur. Vide etiam Coronatas an. 1771 ubi doctissimè de iis differitur.

Jurisperiti eodem hoc sæculo magno in honore fuêre; nec mirum proinde, Jus, apud vicinos pro Cœli dono habitum & quibusdam principibus Belgii viris quoque notum, plurimis Belgii incolis brevi innotuisse. Pauca tamen primæ istius notitiæ inveniri documenta necesse est, tùm quod plerique istis temporibus studio belli arderent, & studii litterarii adminicula essent pauca admodum & exigua; tùm præcipuè, quòd etiamsi in causis publicis negotiisque principum inter se usum quemdam haberet Jus Civile & Canonicum, in causis tamen privatorum & foris oppidanis, quoad sæcularia saltem, utriusque praxis sæc. etiam 13°. esset incognita, donec utrumque (pedetentim) sæc. 14°. in fora magis magisque penetravit. Hein. l. 2. §. 59. & 60. pag. 54. & 55. Ill. Boëhmer Jus Eccl. prot. l. 1. tom. 2. §. 49. & 53. Ed. Halæ Magd. 1756.

Ad Flandros sæc. 12°. Juris Romani notitiam jam pervenisse clarè evincit locus Guillermi; & hoc monumentum, iis comprimis quæ de Comitiis Roncaliensibus modò retulimus attentis, vel solum sufficere videtur ut omnibus hodierni Belgii Austriaci provin- V. Hein. l. 2. §. 58. pag. 52.

Digitized by Google

ciis Juris Romani (Jus Justinianeum mihi hoc venit nomine) notitiam eo tempore tribuamus.

Disceptabant scilicet an. 1184 Philippus Augustus Rex Franciæ & Philippus Alsatius Comes Flandriæ, prolatis Juris in re, possessionis, aliisque Juris Romani argumentis (*a*).

Isabellam, Hannoniæ Comitis filiam, Philippi Flandrensis neptem Rex duxit uxorem. Lauretta seu Laurentia Flandrensis, Comitis soror consanguinea, nupsit Henrico Limburgensi, dein Ivoni seu Iwano Alostano (*b*) ac denique nuptias inivit cum Henrico Namurcensi & Luxemburgensi Comite (*c*). Mathias, Comitis Flandrensis frater germanus, ex Maria Bononiensi progenuit Machtildim Henrico I. Brabantiæ Duci nuptam (*d*). Idem Mathias progenuit Idam, quam Gerardus II. Gelriæ ac Zutphaniæ Comes duxit uxorem (*e*).

Petrus Episcopus Cameracensis, Gerardus præpositus St. Donatiani Brugis, Balduinus Episcopus Teruanensis

(*a*) Ex Jure Justinianeo, non ex antiquiore Jure Romano argumenta, quæ V. ap. Hein. l. cit., esse desumpta, vix habet dubium, si ante dicta de Comitiis Roncal. in memoriam revocemus, simulque consideremus, quantùm Juris Justinianei notitia post medium sæc. 12i. statim increverit.

(*b*) Moreri Gr. Dict. Hist. Art. Comtes de Flandres issus de la Maison d'Alsace n. 10. vol. 4 pag. 100. col. b. in-fol. Edit. de 1740.

(*c*) Moreri. ibid. Junct. Art. Luxembourg Maison. vol. 5. p. 300. col. a. in med.

(*d*) Idem Art. Flandre. d. l. pag. 101. in pr. junct. Art. Brabant. vol. 2. pag. 417. col. b. in pr. & Art. Boulogne pag. 382. col. b. circa fin.

[*e*] Idem Art. Flandre d. l. junct. Art. Gérard II. vol. 4. pag. 88. in-fin.

Digitized by Google

Teruanensis Philippi Flandrensis fuêre fratres Germani (*a*).

Habebant itaque sub finem sæc. 12. & sub initium 13. omnes Belgii Austriaci provinciæ viros Principes Comiti Flandrensi vel Consanguinitate vel affinitate junctos.

Res, de qua inter disceptantes agebatur, non levis erat momenti, (repetebat enim Rex Veromanduos) nec lis aliter quàm hostilibus factis, motibus & utrimque conscripto exercitu, sopita fuit. Velly Hist. de France t. 3. p. 278. & seqq. Ed. de Paris 1767.

Confluebant porrò isto tempore in curias & aulas principum Legistæ & Decretalistæ. Rex Philippus quoque gregem Juris Canonici peritorum jam tum alebat. Boëhmer Jus. Eccl. l. 1. tom. 2. §. 20. Hein. l. 2. §. 64. p. 59.

His omnibus attentis, fieri non potuisse videtur quin argumenta hujus litis à partibus utrimque prolata, & ex Jure Romano desumpta, vicinis iisdemque consanguineis & affinibus suis aliquatenùs innotuerint, & adfirmare posse videmur, Jus Romanum jam in provinciis Belgii Austriaci non tantùm planè non fuisse ignotum, sed & aliquam ei tributam fuisse auctoritatem (*a*). Bussieres Hist. Franc. l. 7. p. 361. circa fin. Ed. Colon. 1688.

Juris Romani notitiam sæc. 13°. magis magisque invaluisse, multa de hoc sæculo evincunt monumenta, quibus colligendis otium fecêre aliis celeb. Heineccius auctoresque ab eo laudati. Juvabit quædem ad Belgium spectantia obiter referre. L. 2. §. 65. pag. 59. & seq.

Primo loco occurrit testamentum Joannæ Flandriæ & Hannoniæ Comitis an. 1244 conditum, in quo

---

[*a*] Idem Art. *Flandre* pag. 101. in pr.

[*b*] Add. Hein. l. 2. §. 63. & 64 pag. 58 ubi quædam insignia ex sæc. 12°. citat specimina.

Digitized by Google

„ clausula codicillaris, constitutio testamentariorum,
Hein. l. cit. „ testium subscriptio & subsignatio.

An. 1282 renuntiaverunt contrahentes " exceptioni
„ doli mali, actioni in factum, privilegio fori, privilegio
Van der Hoop. c. 2. pag. 91. „ dotis.... actioni *Juris Canonici* vel *Civilis* &c.

Idem ibid. An. 1288 Renuntiatio " omnibus exceptionibus &
„ rationibus competentibus à *Jure Canonico* & *Civili*.

An. 1289 mentio fit " exceptionis doli, quod metus
„ causa, in factum & omni alii exceptioni & defen-
Idem. ib. pag. 92. „ sioni *Juris Canonici* vel *Civilis*.

An. 1291 Renuntiatio " omni Juris auxilio *Cano-*
„ *nici* pariter & *Civilis*, cum omnibus consuetudini-
Miræus. t. 2. pag. 875 Ed. Lov. 1723. „ bus patriæ, omnibus privilegiis crucis sumptæ
„ vel assumendæ, omnibus exceptionibus, cavilla-
„ tionibus doli mali.... illi quoque Juri quo cavetur
„ quod non debeat valere generalis renuntiatio.

Citat denique cl. Heineccius Fœdus inter Eduar-
L. 2. §. 66. p. 61. circ. fin. dum Regem Angliæ & Guidonem Flandriæ Comitem an. 1296 initum, cujus argumenta adferre nequeo, cùm Bibliothecâ non licuerit uti satis instructâ.

Si iterum consideremus Margaretam Guidonis Flandriæ Comitis filiam nupsisse Florenti Hollandiæ Comiti, eamdemque secundas inivisse nuptias cum Joanne I. Brabantiæ Duce: (*a*) Beatricem ejusdem Comitis filiam secundas inivisse nuptias cum Florente Hollandiæ ac Hannoniæ Comite (*b*). Ex Isabella Henrici Luxemburgensis filia ab eodem Guidone procreatum fuisse Joannem Namurcensem Comitem: Guidonem, Guidonis alterum ex eadem uxore filium Comitem fuisse Zelandiæ: Margaretam denique Gui-

[*a*] Moreri. Art. *Flandre.* vol. 4 pag. 101. *Guy de Dampierre.*

b) Idem. ib.

donis ex eadem Isabella filiam nupsisse Reinaldo Gelriæ Comiti : (a) si inquam consideremus, viros istarum regionum principes & consanguinitate & affinitate istis temporibus fuisse conjunctissimos, adeoque unius Jus ad omnes aliquatenùs spectasse, rationi consentaneum videtur, ut argumenta, quæ ad defensionem suam unus allegavit, aliis non planè ignota censeamus.

Notitia itaque Juris Romani quæ sæculo 12°. in Belgii Austriaci provinciis elucere cœperat, insequenti sæculo 13°. magis diluxit.

Ex sæculo 14°. plures formulas allegat cl. Heineccius, quibus addi meretur consultatio an. 1383, facta occasione privilegii à Roberto Flandriæ Comite oppido cuidam concessi, ubi multa Juris Romani argumenta, quæ cum aliis formulis ad Belgium spectantibus memorat. cl. van der Hoop. L. 2. §. 68. pag. 62. & seq. C. 3. pag. 92-98.

Vixit hoc quoque sæculo Philippus de Leydis (b) Jurisconsultus Belga, cujus libro *de Cura Reip. & forte Principantis* multa ex Jure Romano inserta.

Eodem pariter sæculo institutæ fuère Universitates Viennensis, Erphordiensis & Heidelbergensis. Hein. l. 2. §. 96. pag. 90.

Erectâ demum à Joanne IV. Brabantiæ Duce an. 1426 Universitate Lovaniensi, eò frequens accessit Belgica Juventus, quæ jam in ipsa patria Themidos Romanæ potuit excipere oracula. J. Plac. B. van Brab. pag. 102. Fagel. c. 1. pag. 24. sub init.

Instituit quoque Carolus Audax an. 1473. Parla- Fagel ib. pag. 24 in f. & seq.

---

[a] Idem ib. Annotationes auctoris hic & p. 9. in notis citati, deprehendi aliquatenùs erroneas, quarum correctioni jam supersedere liceat, cùm argumentum, quod ex descriptionibus Genealogicis deduxi, per istos errores aut parùm aut nihil infirmetur. Patet enim viros harum regionum principes multis titulis tum fuisse conjunctissimos, quod demonstrare statueram.

[b] De ejus vita ac fatis. v. cl. Hein. in præf. sua ad historiam Juris pag. 11. & seqq.

Digitized by Google

mentum Mechliniense, ubi jam tum Jus Romanum magnâ pollebat auctoritate. Accessit denique eodem sæculo ars typographica, unde Juris aliarumque scientiarum notitia insigne cepit incrementum.

SECTIO II.

A quo tempore Jus Romanum in Provinciis Belgii Austriaci vim legis habet?

APPARET ex ante dictis aliquam etiam in Belgio sæc. 12°. Juri Romano tributam fuisse auctoritatem; hoc enim nisi statuamus, Regem & Comitem in lite de restitutione Veromanduorum nugas egisse, fatendum est. Nec fieri potuisse videtur, quin Jus apud vicinos multo plausu acceptum multâque statim auctoritate donatum, simul ac Belgis innotuit, ab his quoque auctoritate quadam donatum sit, quæ brevi in Germania tanta evasit, ut ipsi Impp. pridem omnem curam adhibuerint ne patriæ Leges oblivioni darentur.

Ob hanc sanè rationem sub Ottone IV in Comitiis Francofurtanis an. 1208 " Sancitum ut omnia Jura à ,, CaroloMagno instituta observarentur, tenerenturque. Nec aliam ob causam ab his temporibus scribi cœperunt tot leges provinciales ac statuta, quàm ut irruentibus in forum Juribus peregrinis obicem ponerent principes ac civitates. Constitit nihilominùs Juri peregrino sua auctoritas, imò eatenùs increvit ut principes plenissimam Juris patrii stragem metuentes an. 1441. cogitarint de doctoribus Juris planè abolendis.

Hein. l. 2. c. 3. §. 71. pag. 66.

Idem. ib. §. 73. pag. 68. §. 85. pag. 79. in not.

Idem. c. 4. §. 100. pag. 95.

Eventu caruit consilium; & Jus Romanum, quod eodem sæculo pluribus quàm anteà exponebatur locis, quodque Belgæ in patria quoque docebantur, his aliisque magis innotuit, plurisque sibi comparavit advocatos & patronos. Vir in Jure Belgico versatissimus à Jure Romano fluxisse putat. " Puncta tabulis Ducum „ de an. 1312 non decisa, determinanda ac dijudi„ canda esse juxtà ea quæ expressis & jam decisis similia essent. Anselmo in Comm. ad Art. 5. Ed. Perp. §. pag. 19.

Jus scriptum viguit, non edicta principum apud Antverpienses olim admissa in defectum statuti, aut consuetudinis. Idem ad §. 4. ib. sub init.

Plures formulas ad Belgium spectantes ex sæculis 13°. & 14°. suprà memoravimus, quæ usum Juris Romani his in oris planè evincunt. Pag. 14. & seqq.

Tutò igitur adfirmare liceat, Juri Romano sæculo 12°. jam aliquam in Belgio tributam fuisse auctoritatem, illudque dein sensim vim consuetudinis, quæ eadem est quàm legis, fuisse consecutum.

Verùm hæc si ita sint, unde, quæso, altissimum in legibus patriis istis temporibus latis de Jure Romano silentium? nonne illud ipsum quod tabulis Ducum de an. 1312 sancitum est " puncta iis non de„ cisa, determinanda ac dijudicanda esse juxtà ea „ quæ expressis & jam decisis similia essent", crassam potius innuit Juris Romani ignorantiam? Ita primâ fronte videtur: Si verò attendamus quænam Juris Romani apud vicinos nostros fuerint fata; si perpendamus quomodò Principes ac civitates auctoritatem Juris peregrini jam pridem imminuere potiùs quàm augere studuerint; si denique consideremus Jus Romanum, iis etiam quodammodò reluctantibus, magis magisque invaluisse, non ineptè conjiciemus, Juris Romani non valdè disparia apud nostrates fuisse

Digitized by Google

ſata, principeſque noſtros nullam Juris Romani feciſſe mentionem, ne nimiæ ejus dignationi anſam præberent. Accedit, Jus Romanum dudum in cauſis publicis negotiiſque principum inter ſe uſum habuiſſe, antequam in cauſis privatorum ad illud provocaretur, adeoque ſilentium quod in legibus patriis iſtis temporibus occurrit, minimè ignorantiam Juris Romani evincit.

Boehmer Jus Eccl. prot. l. 1. t. 2. §. 33. & ſeq. §. 48 & ſeq. Add. van der Hoop. c. 5. pag. 158 & ſeqq.

Tribuerunt itaque Majores noſtri ſæculis 12°. & 13°. Juri Romano in Belgio aliquam auctoritatem in cauſis publicis negotiiſque principum, ad quorum exemplum privati ſenſim lites ſuas componere cœperunt, Juriſque Canonici & Civilis (utrumque enim ſæculis 13°. & 14°. mixtim allegabatur) æquitatem magis magiſque laudarunt.

Grotius Introd. l. 1. c. 2. §. 22. Add. van der Hoop. pag. 98 & ſeqq.

Allegarunt nimirum Jus Civile & Canonicum, non ut Jura patria (quibus tamen conſervandis principes omnem operam navare neceſſe habuerunt) non ut leges proprias ad amuſſim obſervandas, ſed ut Jus ſubſidiarium normamque æquitatis, quam Judices, ſilente Appolline Patrio, tutò ſequerentur, & ita ſenſim conſuetudine inductum, vim legis obtinuit.

A quo autem tempore eatenùs invaluerit uſus Juris Romani, ut vim conſuetudinis habuiſſe dici poſſit, dictu difficile erit. Equidem pridem eum, quem hodie habet, legis vigorem videtur fuiſſe conſecutum. Jus vix non ubique pro dono cœli acceptum ſummo certè in honore fuit, cùm utilitas illud in aulis principum, dein in foro etiam tantoperè commendaret. Philippus de Leydis, qui adulto ſæc. 14°. floruit, remedium conſervandæ Juriſdictionis pro Comitibus Hollandiæ & Zelandiæ adſignat " Si in quolibet bono „ oppido unus ſit Judex coram quo in Civilibus cauſæ „ expediantur in ſcriptis, & de Jure ſcripti ". Plura à

Digitized by Google

Philippo decisa sunt ex præscripto Juris Romani, & cum cl. van de Spiegel conjicere licebit, non minorem quam hodie auctoritatem Juri Romano sæc. 14°. fuisse tributam. Cap. 3. §. 18. in f. pag. 106.

Favent huic conjecturæ, attentis factis, Jura Patria sæc. 14°. confecta, utpote quæ ferè nil aliud statuunt quàm pœnas, vel ea quæ ad Jus personarum regimenque publicum spectant, parùm verò aut nihil de reliquis Juris objectis, rebus & actionibus disponunt. Auctis interim sæc. præsertim 13°. hominum commerciis, nova negotia novas desiderarunt leges, litesque inde ortas non planior inventa est dirimendi via, quàm Juris Romani, sæc. 14° ubique noti, in materiis congruis sequi præscripta. Agmen Jurisconsultorum Jus Civile & Canonicum edoctum, pluresque eorum in majoribus tribunalibus sæculo quoque 13°. in Belgio multùm erectis constituti, eam certè inveerunt viam & in Belgio non secùs ac alibi ad Jura peregrina fuerunt procliviores quàm par esset, & principibus luberet, quibus etiam reluctantibus Juri peregrino sua mansit virtus (*a*). Exitium Juris doctoribus

V. Landt-Charter van Hertogh Jan II. Landt-Chatter van Cortenberg. I. Pl. B. van Brab. p. 117. & seqq.

D'Heer Pluvier in de antwoord op de vraege: op wat tyden sedert het begin van de Heerschappye der Franken tot de geboorte van Carel V. &c. Art. 6 pag. 18. & seq.

[*a*] Intestina discordia quæ sæc. 14°. Belgicas devastarunt regiones non exiguum mercaturæ attulerunt detrimentum, Pluvier. art. 7. pag. 20: ac Juris Romani usum multùm probabiliter retardarunt: Belgæ enim sæpè vi magis quàm Jure hoc sæculo fuêre usi. Hinc eamdem quam hodie auctoritatem sæc. 14°. Juri Romano perperàm tributam fuisse putem, quùm consuetudine jam tum non videatur satis invaluisse Jus Romanum ut re verâ eamdem quam hodie vim legis apud Belgas obtineret, licet eamdem ei vim jam tum tribuerint. Pedetentim, ut ante vidimus, sæc: 13°. & 14°. in fora penetravit Jus Romanum, & circà medium sæc. 15°. demum consuetudine satis invaluerat fortè ut re verâ eamdem quam hodie vim legis obtinuisse dici possit. Cæterùm illud tempus præcisè adsignare non poterit, quùm tota doctrina de Jure consuetudinario multis obnoxia sit difficultatibus & naturalis consuetudinis proprietas sit quòd auctorem initiumque habeat incertum.

Digitized by Google

principes in Germania circà medium sæc. 15. fuêre minati, eò quòd, spretis legibus patriis, Juri peregrino nimis indulsissent; vicinis itaque in oris ab ejusdem Juris doctoribus tum non exiguus Juri peregrino tributus fuit honor. Postquam exitiosam tempestatem an. 1441 eluctati essent Juris Doctores, principes à Jure Romano & Canonico minùs abhorruisse videntur & sæpiùs post medium sæc. 15. utriusque Juris in legibus patriis fit mentio (*a*). Quamvis enim hoc quoque sæculo judices sæpè sententiam ferre admonerentur *secundum*

(*a*) De an. 1458 v. 1. Plac. B. van Vlaenderen pag. 73. circa. fin. *Et aucune fois, quand ils ont délaissé à interjecter leurs appeaulx dedens le temps à ce de Droit ordonné.*

De an. 1479. v. II. Pl. B. van Brabant. pag. 6 col. b. circa pr.... *daer inne de voorsz. Clergie naer uitwysens der Geestelyke ende Keyzerlyke rechten ende vryheden niet ghehouden en is.* Ibid. pag. 7. col. a. circa med. *Daer die gheestelycke persoonen ende goederen naer geschreven rechten schuldich zyn onghelast ende onbeswaert aff te zyne, ghelycker wys ende alsoo sy voormaels by tyden van onse voorvaederen ende voorderen saeliger gedachten ghehouden ende gheweest zyn.* ibid. pag. 8. col. a circa med. *Geestelycke* ende *Keyzerlycke* rechten.

De an. 1486. v. I. Plac. B. van Vlaenderen pag. 48 in med. *comme il soit venu à nostre cognoissance que jasoit, que selon disposition de Droict Commun aulcunnes personnes layc.... ne doivent estre tirées ny attraitz en cause ailleurs que par-devant nos dicts loix & Justices temporelz, leurs juges competens.*

De an. 1495 v. I. Plac. B. van Brab. pag. 576 col. b. circ. med..... donec sufficientes cautiones de *Judicio sisti* & *Judicato solvendo* præstiterint; in Bulla aurea a Maximiliano an 1512 confirmata fit mentio *actionis confessoriæ & negatoriæ* v. I. Plac. B. van Brab. pag. 217. col. b. in f. *delicti*, *contractus*, *quasi delicti*, *quasi contractus*. ibid. pag. 218. col. a in med.

In additione 2. læti introitûs Caroli V. de 26 Aprilis 1515 art. 10. fit mentio *Juris scripti*, quibus plura superaddere tædiosum foret.

In legum municipalium confirmatione à principibus adjectum, ut quæ ibi decisa non sunt, judicentur ex Jure Romano. v. ampl. Stokmans Dec. I. n. I. & 2.

Digitized by Google

secundum quinque sensus (*a*) non tamen omni Juris positivi vinculo eos solutos fuisse, & pro arbitrio Jus dixisse existimandum est; sed ita loqui moris erat, ut Judices compellerentur omni curâ ac diligentiâ causas examinare & ad rectè Jus dicendum omnem sensum intendere (*b*).

Constat itaque omnem Juris Romani obligandi efficaciam his in oris ex consuetudine ortam, omnemque ejus peræquè ac Canonici Juris auctoritatem ex receptione libera dimetiendam esse (*c*).

Habuit quoque Jus Romanum eum, quem hodie habet, legis vigorem antequam expressus de eo prin-

---

Porrò *Jus scriptum* sive *beschreevene Rechten*, *gemeene Rechten*, *gemeene beschreevene Rechten*, *gemeene Keyzerlycke Rechten* denotant aut Jura Romana aut Canonica aut ambo simul. Van der Hoop. Cap. 3. pag. 113 in f.

Ante medium sæc. 15. Principes in usu Juris peregrini connivisse potius [quoad causas privatorum nempe] quàm illum approbasse videntur, post medium verò ejusdem sæculi usum *Juris scripti*, uti ex allegatis formulis apparet, disertè approbarunt. Imp. Fridericus III sub quo an. 1441 cogitabatur de Juris doctorum exitio, dein an. 1472 scripsit ad Andream Canter " pervenisse ad Majestatis audientiam „ quomodò Canterus [Belga] ante decimum tenerrimæ ætatis annum, „ Universarum penè liberalium artium peritiam nactus esset, ac „ etiam Imper. legum sacrorumque Canonum cognitionem : ". eumque ad Viennensam Universitatem invitavit. *V. Schotanus Brieven ende Documenten dienende tot de Friesche Historie pag. 58. Achter de Geschiedenissen van Friesland door Christianum Schotanum.* [Franeker 1658] unde Clarissimè patet res Juris doctorum post medium sæc. 15. multò lætiorem induisse faciem.

[*a*] Plures formulas v. Apud van der Hoop. Cap. 2. pag. 75 & seqq.

(*b*) Nonnullis documentis hoc probatum v. apud van de Spiegel. C. 3. §. 13. pag. 99 & seqq.

(*c*) De Germaniâ ita docet clar. Riegger Jurisprud. Eccles. p. 4. §. 540. pag. 455. ed. Lovan.

Digitized by Google

cipum nostrorum consensus, seu jussus extiterit, cùm consuetudo expressum consensum & Jussum præcesserit, principesque nuspiam, quod sciam, sanciverint, Jus Romanum magis fore observandum quàm vi consuetudinis primùm observari soleret, unde non aliter expresso quoque principum consensu ac Jussu inductum videtur Jus Romanum, quàm quatenùs consuetudine jam ante invaluerat, (*a*) hincque de expresso consensu seu Jussu anquirere supervacuum erit, cùm perinde sit, an legislator voluntatem suam verbis declaret an re ipsâ & facto (*b*).

Teneamus itaque Jus Romanum nostris in oris consuetudine fuisse inductum tamquam Jus subsidiarium; hanc inductionem expresso summorum imperantium consensu & Jussu fuisse confirmatam: eam deniqne

(*a*) Quomodò consuetudine Jus induci possit V. cel. Grotius *Droit de la Guerre & de la Paix* l. 2. c. 4. §. 5. n. 4. & Barbeyrac in not. édit. d'Amsterdam 1724. pag. 267.

(*b*) Anselmo in Comment. ad Art. 5. ed. perp. §. 4. pag. 19, ubi docet, quandonam Jus Cæsareum sit observandum, allegat edict. 15 Sept. 1530. & Interpret. 16. Jan. 1528 ad instantiam Cleri Brab. & Namurc. Verùm ex priori loco (in utroque agitur de decimis,) patet quidem consuetudines vicinales aliquando esse observandas; patet ex utroque Jus scriptum aliquando sequendum esse: nullus tamen de Jure Cæsareo ibi fit sermo, cùm iis in locis Juris scripti nomine non Romanum sive Cæsareum, sed Jus Canonicum videatur intelligendum. Ex formulis suprà pag. 29 & seqq. litt. t. in not. patet principes nostros Juris Romani ac Canonici observantiam jam sæc. 15. expressè approbasse. Carolus Audax in forma [de Instruçtie] Curiæ Holl. an. 1462 nomine patris sui Philippi boni data, Juris scripti quoque meminit. V. Van der Hoop. cap, 3. pag. 105 & seqq; nec fortè ante hunc principem de expresso consensu adferri poterunt documenta, cùm an. 1441 de exitio Juris doctorum cogitaverint principes sub Friderico III. cujus filius Maximilianus Uxorem duxit Mariam Caroli audacis filiam. Mihi equidem, cui vetera Curiarum monumenta perscrutandi non datur copia, de eo inquirere ineptum foret.

Digitized by Google

nec tacitè nec expressè dein fuisse revocatam; unde consequens erit, judices hodieque Juris Romani præscripto tamquam Juri subsidario esse adstrictos.

Verùm quatenùs Jus Romanum sequendum sit, non una omnibus sedebit sententia (*a*). Omnia sanè, quæ in Corpore Juris Civilis habentur puncta, nobis obtrudere non minùs ridiculum, quàm omnia aspernari levis animi & incauti judicis videtur argumentum. Vir equidem, Juris doctrinâ celebris, omnem Juri Romano denegat auctoritatem, hoc potissimùm usus argumento, legis non promulgatæ nullam esse obligationem; Juris autem Romani promulgationem numquam factam esse nec fieri potuisse, utpote quod non vernaculo sed latino idiomate ab incolis non intellecto conscriptum est. Verùm huic argumento parùm ponderis inesse videtur, tum quòd lex, utpote commune præceptum, non tam singulis de populo sive communitate quàm ipsi communitati sive populo in communi latum, obliget si ita publicè proponatur, ut facilè in ipsius communitatis seu universi populi queat devenire notitiam, & Jus Romanum, etiamsi latino sermone conscriptum, in communitatis potuerit devenire notitiam, cùm lingua Latina eo tempore quo Jus scriptum expresso principum consensu & Jussu inductum fuit, ferè ab omnibus intelligeretur & instrumenta judicialia plerumque latinè conscriberentur; (*b*) tum etiam præcipuè quod Jus Romanum

Cl. van Espen de promulg. leg. c. 1. §. 2 pag. 124. Tom. IV. ed. Lov. 1753.

(*a*) Cùm quæratur de Jure vim legis habente, meæ quoque videntur esse partes paucis inquirere, quatenùs Jus Romanum legis instar nobis habendum sit.

(*b*) Citat cl. Herm. Cannegieter in Jure publ. Fœd. Belgii c. 13. pag. mihi 89. Caroli Egmondani constitutionem " *Wy Karle van* ,, *der genaeden Gods Hertoge van Gelre en van Gulik, ende Graeve* ,, *van Zutphen doen Conde. Zoo wy verstaen dat nae privilegien on-*

Digitized by Google

non primùm expresso principum jussu, sed consuetudine ipsiusque populi usu principumque tacitâ approbatione fuerit inductum, cui demum expressus eorum consensus & Jussus postea accessit.

Add. van der Hoop c. 4. pag. 146 & seqq.

Ex eo autem quod consuetudine fuerit inductum Jus Romanum, ultrò sequitur, initio præsertim judicis fuisse partes in quovis casu legibus patriis non deciso, prudenter discernere quantùm usus Juris Romani obtineret, quæ disquisitio semper difficilis est, cùm requisita ad inducendam consuetudinem non satis Jure definita sint, ita ut ipse Judex cautè æstimare debuerit, an in casu sibi proposito, legibusque patriis non contento, dispositio Juris Romani usus satis invaluisset ut illam tutò sequi posset (*a*).

„ *ser Stadt Bommel niemand zyn recht dan in eigener persoon vervolgen mag, het zelve niet behoorelyck en is, ook zo men sints lange aldaer alle gerechts brieven naer olde gewoonte in het latyn plage te geeven, bekennen wy Hertoge voorsz. dat wy onser stadt voornoemt gegont en toegelaeten hebben met desen onsen openen placaet, dat een yder naer gestalt en nooddrust zynre zaeken, syn recht in onse voornoemde stadt durch eenen anderen volmagtigen sal mogen versoeken ende vervolgen, als wy sulks in onser Landschappe van Tielreweerdt en Bommelreweerdt geconsenteerd hebben, beheltelyck dat wy met desen willen, dat men van nu voortaen alle gerechts brieven in onser voorsz. Stadt in duitsche maeken ende geeven zal zonder argelist". Oirconde ons secreet zegel hier op. Op den sestienden dag Decembris an. 1520.*

Notissimum est leges patrias olim quoque latinè sæpè conscriptas fuisse.

(*a*) Majores nostri primùm in causis publicis negotiisque principum inter se fuêre usi Jure Romano ut normâ æquitatis: Juris Romani usus dein locum habuit in causis privatorum, in quibus initio quoque non aliter quàm ut norma æquitatis vim quamdam habere potuit; maxima tamen istius Juris dignatio probabiliter effecit ut in causis civilibus, quæ legibus patriis judicari non poterant, dispositionem Juris Romani vix non semper observaverint majores nostri,

Digitized by Google

Ex quo autem tempore Jus Romanum tantoperè consuetudine invaluit, ut eo tamquam Jure communi subsidiario utamur; ex quo judices expresso etiam summi imperantis consensu & jussu, Jus Romanum sequi compelluntur, minus est quidem de Juris Romani auctoritate dubium; sed cùm principes nihil quoque definiverint quatenùs Jus Romanum sit sequendum, & absurdum foret omnia Juris istius puncta nobis obtrudere, multùm adhuc prudentis judicis arbitrio relictum est, ut dijudicet an casus sibi propositus ejus sit naturæ ut Juri Romano inhærere debeat, nec ne. Quæcumque enim ad Jus Romanorum publicum statumque regiminis pertinent nobis nullum habent legis vigorem, cùm nostrarum regionum longè alius sit rei publicæ status, alia publici regiminis forma.

Add. de Riegger Jurisprud. Eccl. p. 1. §. 541 p. 456.

Et in iis quidem plus æquo faciles fuêrunt majores nostri, nimiumque inhæserunt Juri Romano, ubi Jus publicum Belgii ex legibus Romanis explicarunt, cujus rei insigne exemplum jam sæculo 14. præbuit Philippus à Leydis, qui privilegia Belgii regionibus concessa ex Jure Romano admetiri & interpretari voluit.

V. Van de Spiegel. c. 3. pag. 106.

Imò tanta Juris Romani apud quosdam fuit dignatio, ut Jus præscriptum libris Justiniani non civitatis tantùm, sed & gentium & naturæ venditarint, dum illud Jus, etiamsi sæpè æquissimum, aliquando innititur principiis Juri naturæ planè adversis.

V. ampl. Stockmans Dec. 1. n. 10. V. Pufendorf Droit de la Nat. & des gens préface du Traducteur pag. 103 circa med. Edit. d'Amsterdam 1734.

---

cùm Jus Romanum tanto dignarentur honore, ut vix & ne vix aliquid eo Jure constitutum crederent, nisi quod normæ æquitatis optimè consonaret: inde Juris Romani consuetudo, quæ eam vim legis, quam citò nimis Juri Romano tribuerunt fortè majores nostri, huic Juri re verâ addidit. Interim cùm quæstio vertatur de vi legis, inspicere liceat, non tantùm quid factum sit à majoribus nostris, sed & quid fieri debuisset.

Digitized by Google

Quamvis etiam Jus Romanum in omnes se effudisset gentes humanas, non sane propterea principibus stare deberet, vel tamquam Jus gentium immutabile haberi meretur, ne quidem si summi imperantes illo Jure, ut Jure Gentium fuissent usi, illudque ut tale consuetudine induxissent, cùm quivis summus imperans à Jure gentium consuetudinario, congruâ de eo suæ voluntatis exhibitâ declaratione, possit recedere.

Ampl. Bynkershoek Quæst. Jur. publ. l. 1. c. 2. pag. 9. in med. edit. Lugd. Bat. 1737 in 4. Pufendorf. l. 2. c. 3. §. 23. & Barbeyrac ib. n. 2. pag. 243 & seq.

In iis itaque quæ ad Jus publicum harum regionum spectant vim legis consequi non potest Jus Romanum, quatenùs illarum imperii ac regiminis forma adversatur: in iis quoque quæ Jus gentium, id est Jus quo gentes inter se utuntur, concernunt, nullam vim legis consuetudine consequi potest Jus Romanum, quatenùs quivis summus imperans à Jure gentium consuetudinario liberè recedit.

Cicero de Invent. l. 1. Cap. 38. Add. van der Hoop. c. 4. pag: 150 & seqq.

Non aliter quoque quoad causas privatas vim legis habet Jus Romanum, quatenùs Rei publicæ & temporum status non refragatur, cùm leges peregrinæ non possint haberi receptæ nisi quatenùs forma imperii, populique genius moresque id ferunt. Nemo enim leges legum causâ salvas esse vult, sed Reipublicæ quod ex legibus omnes Rempublicam optimè putant administrari.

Difficiles itaque adhuc Judicis sunt partes, ut cautè dignoscat, num Rei publicæ temporumve status hodiernus in causis sibi dijudicandis decisioni Juris Romani aliquandò refragetur (*a*). Hoc verò statu non refragante & Jure patrio silente, quominùs à Juris Romani præscripto recedat, religio erit Judici, & sequendum Jus Romanum, quia receptum.

[*a*] Leges plurimæ v. g. in odium Hæreticorum latæ, hodierno temporum statui plurimis in locis refragantur.

Digitized by Google

Parcè itaque leges Romanæ abrogatis adscribendæ: & quamvis omnium sine controversia æquitatem hodie non agnoscamus, minimè tamen in arbitrio judicantium collocatum erit, quantùm æquitati cujusque legis tribuant; idcircò enim Juri Romano, quod Juri naturali addit quid vel detrahit, tributa est auctoritas, ut quoscumque legum ministros obstringat, & multa circa æquitatem, cujus disceptatio sæpè difficillima, dubia tollat. Mitto monêre causas merè spirituales non secùndum Jus Romanum esse decidendas, nec inquirendum hîc quandonam Jus Canonicum illi prævaleat; hæc non hujus sunt loci: sed extra omnem dubitationis aleam positum videtur, Jus Romanum sæpè judici esse sequendum & quidem ut legem positivam esse sequendum in materiis congruis de quibus nihil Jure Belgarum proprio decisum est. Jus Romanum igitur in provinciis Belgii Austriaci (Hannoniam exceperis teste ampl. Stockmans) non tantùm prodest ad suadendum & illustrandum, sed sæpè omninò pro lege habendum est.

Add. Bynkershoek in præf. ad tom. 1. Observ. Jur. Rom. p. 2. circa fin. Ed. in 4. Lugd. Bat. 1710. Z. Huber in præf. ad Eunom. Romanum. p. 4. Hein. in not. ad Vinnium in Comm. ad Tit. Inst. de adoption. in pr. n. 2. ed. Bat. Lugd. 1726. p. 72. Fagel. c. 3. pag. 51. in f. & seq.

Dec. 1. n. 3.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google